DE QVANTITATE HOSTIÆ

Contra errorem Oſwaldi.

LIBER.

In quo Hiſtoria Seefeldica de admirabili Sacramento explicatur.

F. FELICE MILENSIO
Ord. Erem. S. Auguſtini
Vic. Gener. Germaniæ
AVCTORE.

Veritas emendet errorem, | *Aug. li. VIII.*
Fides redarguat incredulitatem, | *de Civ. Dei*
Converſio corrigat auerſionem. | *Cap. XXIV*

Cum conſenſu Superiorum

PRAGÆ,
TYPIS GEORGII NIGRINI.
ANNO M. DC. IV.



Si hoc uidere adhuc forsitan non potes; crede, et uidebis. Aug. li. 1. con max.

F. FELICIS MILENSII.

DE QVANTITATE HOSTIAE.

Contra errorem OSWALDI.

Liber.

De origine VVilthinensis, ac Seefeldensis Monasteriorum.

Cap. 1.

COmitatus Tyrolẽsis, naturali sublimiũ alpium pręsidio, ac longo Adigis tractu Italiam à Germania disterminans; & tanquam galeatum Prouinciæ caput, finitimis regionibus prominens, duobus potissimum beneficiis asperitatem suam compensauit; mineralibus scilicet, atq; gigantibus. Siquidem eius montes forinsecus fermè undiq; invij, intrinsecus utili arte pervij, argenti ærisq; fodinis clari, præacutis scopulis suas gazas muniente naturâ, nunc usq; probantur.

Eius autem gigantibus Signothum pręfe-
runt à Theodorico Rege, feliciter prælian-
te, ſuperatum: deinde Haymonem, & Thyr-
ſim celebrāt, inter quos hactenus non vul-
garis, neq; obſcura dimicatio. Haymo .n.
regionem circa Oenipontem, iam clariſsi-
mam vrbem, & antiquam Principis ſedem,
incolens, Thyrſim, non procul à Seefeld
commorantem, paris oſor, inuaſit ſimul
atq; peremit: vtrobiq; duobus templis, &
monaſteriis, Wilthinenſi, ac Seefeldenſi,
feliciori conamine ſuccedentibus.

Etenim Haymo, necato Thyrſi, & imma-
ni dracone, omnia hinc inde demoliente,
ſtrenuè defoſſo, Deo exercituum acceptum
referens vtrumq; triumphū, Wilthinæ ad
Oenipontem, inſigne excitat monaſterium
nunc à Canonicis Ordinis Pręmōſtratenſis,
conſpicuâ vitæ integritate, ſub regula Diui
Patris Auguſtini inhabitatū. Vbi & linguā,
ab execta draconis fauce relatam, in diuini
auxilii teſtimonium condens; & ſuperſti-
tem vitam ſanctis operibus impendens, tā-
dem anno DCCC. LXX. VIII. Chriſtiano fine
interiens, ſepelitur; & giganteâ ſtatuâ de-
cumbente ad hæc vſq; tempora, piâ memo-
riâ honoratur. Ad inſtar a monumenti Og
Regis

a Deut. 3.

Regis Basan, de stirpe gigantum, cui scribunt stratum fuisse lectum ferreum in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habentem longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. At Seefeld, si ob debellatum Thyrsim gloriâ minor; ob Deum tamen miraculo inibi glorificatum, gloriâ multo maior, & monasterii fundatore illustrior.

DE INSTITVTIONE *Ecclesiæ, & Monasterij in Seefeld.*

Cap. II.

EST autem Seefeld, tenuis pagus, tribus leucis Germanicis ab Oeniponte ad Bavariam ac Sueviam vergens, ob lacuũ, quib⁹ adiacet, affinitatem, à See, & feld, stagni campus, vernaculâ linguâ interpretat⁹. Is exiguum initio templum in Dei Sanctiq; Osuualdi, Regis Angliæ, honorem, habuit; exinde parochiæ in Telffs commendatum: tum verò ob miraculũ in Osuualdum Milserũ, cuius errorem inferiùs confutabimus, altari à sua sede immoto, magna Ecclesia sub Friderico Archiduce Austriæ, an-

no M. CCCC. XXXI. extructa est, & ab Vdalrico Episcopo Brixinensi, parochiæ titulo ac muniis donata.

Dein MAXIMILIANVS PRIMVS, verè SACER ac CÆSAR, perpendens ex iisdem literis vtrumq; cõstare nomen, à bellicis ad Ecclesiastica promouenda animum æquè ac manum transtulit: & pro adorandę hostiæ reverentia; & pro successu miraculorum; & pro ampliori cultu Ecclesiæ; & pro confluentia peregrinorum, augustissimum monasterium circa annũ M. D. XVIII. à fundamentis templo adiecit.

Quod, fundatore, anno proximo, decedẽte, inconsummatum, verùm sic etiamnum Sacrâ maiestate admirandum, MAXIMILIANVS Archidux Austriæ, eiusdem nominis in Austriaca familia tertius, pari nomine, ac pietate non impari absoluere iam est adorsus: illudq; Fratribus meis coeremitis, labenti anno M. DC. IV. magnâ in magnum Patrem Augustinum deuotione concessit.

Ita vi-

DE MVTATIONE ET *perfectione Seefeld.*

Cap. III.

ITa vicinis nemoribꝰ ad ſacra ędificia iam diu rarefactis, ſaxisq; innumeris ad beatas ædes applicitis, regiâ viâ interſecante Auguſtam Vindelicorũ verſus, atq; Monachium, domitum vtrinq; ſolum, colonoq; ſubiectum. Secundum quod *a* Gedeoni iuſſerat Dominus, vt & aram idoli Baal deſtrueret; & nemus, quod circa aram erat, ſuccideret; & ibi altare Domino ædificaret; & ſuꝑ ſtruem lignorum, de nemore ſucciſorum, ſacrificiũ poneret, holocauſtũmq; offerret. *a* Iudi. 6.

Ita agreſtium monſtrorum loco, fidelis Chriſti populus ſucceſsit, horridumq; gigãtum ſpecus domeſtica Religioſorum eremꝰ euaſit: quemadmodum & terra *b* filiorum Ammon, data eſt filiis Loth in poſſeſsionẽ; ubi olim habitauerunt gigantes, populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis ſicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum, & fecit illos habitare pro eis. *b* Deut. 2.

Ita vallis, quæ Thyrſis immanitate rigebat, Chriſti eminentiâ extollitur, & pręſentiâ ſanctificatur, omnem omnium gigãtum

c Psal. 18. celſitudinem ſuperantis: qui c exultauit ut gigas ad currendá viá, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummũ eius.

Ita inacceſſos lucus nunc ſecurus aduena penetrat; & inhoſpita terra, peragrantium cócurſu, fit celebris; perſonat miraculis; votis colitur ac decoratur. Sicut & terrę d pro-
d Num. 13. miſsionis, ea erat affluentia, & bonitas; vt, quamuis à monſtris filiorum Enac de genere gigantæo occuparetur, timore compeſcentibus illò cupientes accedere; diceret tamen Caleb; Aſcendamus, & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.

Deniq; ſic ipſi montes non ſolùm ſolitis glebulis pretioſis ſcatent; ſed vberioribus venis (ipſo ſponſo, cuius e caput eſt aurum
e Cant. 5. optimum, largiente) quaſi in aureos atq; argenteos fontes, liqueſcunt. Hæc omnia non minùs abundè, quàm fideliter his verbis pollicente ſcriptura: f Si reuerſus
f Iob. 22. fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè faciet iniquitatem à tabernaculo tuo: dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos: eritq; Omnipotens contra hoſtes tuos; & argentum coäceruabitur tibi: tunc ſuper Omnipotentem delitijs afflues; & eleuabis ad Deum faciem tuam

roga-

rogabis eum, & exaudiet te; & vota tua reddes: decernes rem, & veniet tibi; & in vijs tuis ſplendebit lumen.

Quocirca ſicuti g Bethlehem, terra Iuda, nequaquã minima fuit in principibus Iuda, cùm ex illa exierit Dux Iſrael, Saluator Mundi; ita & Seefeld, etſi numero caſularum paruus ſit pagus, magnitudine tamen, ac multitudine miraculorum (vt hoc recenſeam) minimè paruus: vbi (quod eſt præcipuum) Ieſus Chriſtus Dominus noſter ſui precioſiſsimi Sanguinis euidentiam in ſacra hoſtia ad hunc vſq; diem mirabiliter præbuit. Quod quidem ſic accidit.

g Matt. 2.

DE ERRORE OSWALDI

Milſeri, maiori hoſtiâ communicari attentantis, & de ſequutis inde miraculis.

Cap. IV.

OSuualdus, familiâ Milſerus; genere nobilis; religione Catholicus; animo grãdis; ingenio curioſus; reſidens in Schlosberg, quod caſtrũ eſt in monte, vt nomen ipſum ſignificat, non longè à Seefeld, Anno M. CCC. LXXXiiij. Paſchali tempore, quo a omnes Chriſti fideles ex præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ ſub excommunica-

a De pœnit. et re. cap.

 tionis,

tionis pœna, & Ecclesiasticæ sepulturæ priuationis, Sanctissimo Eucharistiæ Sacraméto refici solent; cõmunicare & ipse volens, ad propinquam Sancti Osuualdi Ecclesiá in Seéfeld accessit: maiori hostiâ, quâ sacerdotes sacrũ faciunt; & nõ minori, quâ laici communicant, ambiens communicare. Cui tandem sacerdos assentiens, alteram hostiá maiorem pro Osuualdo in ipso Missæ sacrificio consecrauit.

Omnis utriusq; sexus et De Cons. dist. 2. etsi non frequentius,

Qui Osuualdus ad sinistrum altaris latus, quâ plerumq; in Germania laicos communicare est moris, spectante populo genuflexus, sublabratam hostiam, linguæ hærentem, deglutire non valens; in terrę hiatum, subtus illum protinus patefactœ, tanquam totus absorbendus, ad genua vsq; defecit: lapsumq; euitare procurans, dexterâ, altaris lapidem, quorsum ipse erat, pauidus apprehendit: qui, etsi magnus, & integer, nihilominus, præuaricatoris manum subterfugiens, non solùm non nihil eàtenus declinauit; verùmetiam digitorum appulsui, tanquam cereus, siue niueus, liquescens, cessit; & eorum confossa stigmata, ad hũc vsq; diem retinuit. Territus autem sacerdos, hostiam ab Osuualdi ore resumens, eamq;

partim guttis ſanguineis miraculosè cruentam (vt viuæ carni dentibus perculſæ, contingit) admirans, reuerenter in ſacrario collocat. Oſuualdus verò totam rei rationem ad ſui erroris iuſtam diuinamq́; animaduerſionem referens; tantorumq́; euentu tremens, ac pallens, aliquandiu in templo ipſo orando deprecandoq́; remanſit.

Res interim omnis ſecundum ordinem vxori in Schloſberg coniugem ſuum expectanti, à famulo redeunte recitatur, moræq́; cauſa exponitur: quæ ſæpius repetita, ſemper inuenit incredulam. Quid (ait illa) quid? Num olitoriæ fœmellæ iſt hæc ingerere arbitraris? An putas cum puellula fabulari, vel cum amente? faceſſe citò, aut tace: ne mihi vltrò caput obtundas. Hæccinè autumas me tam facilè crediturã? Credam priùs hunc cauticem, hunc ipſum aridum, quem vides, in vernantes roſas erumpere, quàm quod narras: hoc citius credam.

His dictis (ô mirum) is idem cautex, tanquã viride naturaléq́; roſarium, formoſiſſimas, ac frangrantiſſimas roſas (ſuo auctori obediente naturâ) ſtatim faſtigando produxit. Ipſa verò in ſua perfidia ob-

ſtinatior, natos flores impiâ manu excerpens, temereq; violando proiecit: neq; impunè. Nam confeſtim mentis delirio ſauciata, per ſiluam Scharnitz furens, atq; oberrans ſubitâ morte deperiit.

Vir autem eius his omnibus exactè compertis, vitam in meliorem frugem conuertens, monaſterio Stambſenſi, Ordinis Sancti Bernardini, duobus circiter milliaribus à Seéfeld, ſitu (vt ipſum nomen ſonat) aſpero atq; ſaxoſo, ſe abdicans, moleſtam, in quã venerat, ægritudinem æquo animo ferens, & hanc ipſam ſuæ pœnitentię adiungens, biennium ſuperſtitis vitæ duram humum pro cubili, rigidum lapidem pro ceruicali ſibi elegit. Eoq; tempore ſacrâ Communione refectus, quam eò humiliùs ſuſcepit, quò magis in eam pridem ſe peccaſſe nouerat; eoq; reuerentiùs, quò magis eius veritatem quantitatemq; tremendo miraculo expertus erat; tandem in Domino obdormiuit: & in ſacello inibi à ſuis maioribus coſtructo humatus, lapideo dein monumento recolitur: eiusq; memoriæ, atq; deuotionis ergò, burſa Corporalis ex veſte, quam tempore miraculi geſtabat, collecta, vsq; nunc in eodem monaſterio conſeruatur. Viro itaq;

itaq; & vxori communis thorus, non commune sepulchrum: qui consortes in connubio fuère, vtinam consortes in gloria. Ille n. *b* tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dedit in tempore suo: foliumq; eius non decidit; quia in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: hæc vero, vt impia, non sic; sed è viuis, tanquam puluis, sublata, quam proiicit ventus à facie terræ: quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.

b Psal. 1.

QVOD PRESBYTER, LAIcum hostiâ maiori communicando, peccauit.

Cap. V.

TRes igitur circa eũdem casum, eo tempore, peccauerunt: sacerdos talem hostiã perniciosè dispensando: Osuualdus eam insolenter appetendo, petendo, ac suscipiendo: & mulier, miraculis inde subsequutis, perfidè resistendo. Peccasse verò sacerdotem, ex tribus breuiter demonstrabimus.

Primùm, respectu cõsuetudinis Ecclesiæ, quam est transgressus. Ritus n. Ecclesia-

ſtici in triplici genere collocantur: Quidam in ſcripturis canonicis commendantur; vt communicatio Corporis & Sanguinis Chriſti: Quidam ex Sanctorum traditionibus, œcumenicisq; Concilijs habentur; ſicut anniuerſaria commemoratio Dominicæ Paſſionis: Quidam ſecundum diuerſam hominum pietatem introducti per regiones variantur; ſicut ieiunare, vel non ieiunare in ſabbatho. Circa conſuetudines tertij generis, facere quisq; poteſt, quod in ea Eccleſia, ad quam venit, inuenerit, docet a S. P. Auguſt. De duobus autem primis generibus; vbi diuinæ ſcripturæ præſcribit authoritas, non eſſe dubitandum, quin ita agere debeamus, vt legimus. Similiter ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inquit eſſe dementiæ. Itaq; cùm ſacerdotes maiori hoſtiâ ſacrificare, & laicos minori communicari, antiqua & vniuerſalis ſit Sanctæ Eccleſię conſuetudo; contra eam temerè facientes, præcipuè ij, ad quos ſpeciatim attinet talium rituum notitia, & obſeruantia; non cenſentur iuxta tranſgreſſionis grauitatem, plus minus, à peccato immu-

a Ad Ianuar. de varijs conſ. Ec. Ep. 118.

to immunes. Quare de his, qui ſacrificando, variè errabant, ſic lege cautum eſt: *b* De cætero aliter, quàm cęptum eſt, faciens, tandiu à ſacrificando ceſſabit, quandiu legitimâ pœnitentiæ ſatisfactione correctus, ad gradus ſui officium redeat, quod amiſit.

b De conſ. diſt. 2. Cum omne.

Rurſus reſpectu populi propter ſcandalũ. Nam videntes aliter Oſuualdum communicare, quàm vnquam cæteri laici conſueuerint, iuſtè poterant admirari, & in periculoſam aliquam dubitationem facilè deuenire; ac in eundem forſitan errorem Oſuualdi incidere: quaſi meliorem, vel maiorem partem Sacramenti, & Chriſti Corporis haberet, qui maiorem ſumeret hoſtiæ quantitatem. Poterantq; vel contra preſbyterum murmurare, eum partialem vocando: vel iniquè conqueri de ipſo Deo, quod non etiam eos nobiles ac diuites fecerit. Cùm tamen legatur: *c* Edent pauperes, & ſaturabuntur: & alibi: Simul in vnum diues, & pauper. Cùmq; Dominus noſter hoc Sacramentum inſtituens, neminem excipiendo, dixerit: *d* Accipite, & comedite: eosq; communicando, ſic ſe totum omnibus, ut totum ſingulis, ſine differentia perſonarum præſtiterit. Non enim alterius

c Pſal. 21. & 48.

d Matt. 26.

alterius generis, vel maioris quātitatis portionem dedit Bartholomæo, qui & nobilis & Philosophus fuisse dicitur inter Apostolos; quàm Matthæo, qui fuerat telonarius; vel Petro, qui erat piscator; vel Iudæ, qui erat futurus proditor. Cùm igitur hoc fuerit scandalum datum; sacerdos, qui scandalum dedit, peccauit; dicente Domino: *e* Necesse est, vt veniant scandala: væ autem homini illi, per quem scandalum venit. Quantum verò sit væ culpæ huiusmodi, ex quantitate væ pœnæ, superiùs positæ, deprehenditur: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt; expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

e Matt. 18.

Porrò respectu ipsius Osuualdi. Quandoquidem vel in confessione illius (si illius confessionem audierat) vel in productis rationibus, dum is huiuscemodi hostiam petijt, petentis errorem scire sufficienter potuit; vel saltem ex ipsa insolenti petitione discernere: Et sic videtur ipse ad eundem errorem, ad minus ministerialiter, concurrisse: qui prudenter cauere poterat, & debebat. Gregorius n. Maximo scribens

bens, inquit: *f* Si alij excessus desint, pro istа solummodo culpa superbiæ, Dominici te Corporis ac Sanguinis Communione priuamus. Interim verò secundum ordinem charitatis eum corripere poterat, & secundum pastoris officium dirigere, ac erudire; iramq; Domini metuendo euitare, *g* quæ comminantis pastoribus Israël, quòd infirmos non consolidassent; ægrotos non sanassent; confractum non alligassent; & abiectum non reduxissent.

f In Regis. cap. 125.

g Ezech. 34

Sic tamen fieri permisit Deus: Primò respectu suæ immensæ bonitatis manifestandæ; vt illâ postmodum mediante hostiâ, gratias erogaret innumeras; suisq; pignus visibile ac pretiosum pristinæ donationis concederet. Quemadmodum & Adæ culpam permisit, ob quam *h* benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei apparuit. Deinde, respectu sacerdotis, vt hoc exemplo cauerent cæteri, aliter tractare Ecclesiastica Sacramenta, quàm ab ipsa matre, ac magistra Ecclesia constitutum est. Tertiò respectu ipsius hostiæ, vt veritas, & totalitas Corporis Christi in Eucharistia claro, & perenni miraculo probaretur. Tum respectu Osuualdi; vt patenti pœnâ sequen-

h Tit. 3.

ſequente, latentem cerneret plagam; & confeſſus errorem, humiliter exigeret ve. niam. Deniq; reſpectu populi: ne vllo hæreſum aſtu (quibus hâc illac Germania diſſecabatur) à fidei catholicæ ſtabiliſſima petra diuellerentur: ſed diuini iudicij vltionem ſeueriſſimam formidarent. Indeq; iuſti manifeſtâ Sãguinis Dominici viſione conſolarentur: peccatores verò, vitâ emendatâ, dignè ad tantum Sacramentum accedere diſponerentur.

Ego verò, quantum in me eſt, fateor, vbi ꝫ ſemel ante tremendum illud altare, in cuius tabernaculo hoſtia admiranda reconditur, ſacrum facturus aſtiti; qui paulo antè, ipſum terræ hiatum, nunc ferreis cancellis ſubductum, inſpexeram; qui ipſum lapidem in inferiori altari, vbi res contigit, digitis obſignatum, intuitus eram, qui hoſtiam ipſam Sanguineo colore diuinitus tinctam & videram, & adoraueram; horum omnium magnitudinem cum magnitudine peccatorum meorum conferens, atq; animo voluens, præ timore ſimul ac reuerentia vix quidem pedibus conſiſtebam; vt an Miſſam abſoluere poſſem, etiam, atq; etiam dubitarem. Sæpius tamen mecum illud

ꝫ Anno 1604. Die 5. Aprilis Fer. 2. poſt. Do. Paſs.

illud iterans; k Domine non confundar, quoniam inuocaui te, inde statim fortitudinem sensi, vnde donum timoris Domini sentiebam. k Psal. 30.

QVOD NON PECCAVERIT *Presbyter obijcitur, & respondetur.*

Cap. VI.

IAm obiectiones, quæ fieri possent, ad presbyteri trãsgressionem indulgẽter excusãdã, pro clariori casus solutione discutiamus.

Prima est. Saluator noster communicauit Iudam traditorem; ergo sacerdos potuit communicare Osuualdum peccatorem. Dico: Aliud esse, exhibere hostiam maiorem laico; aliud exhibere absolutè hostiam peccatori: obiectio non concludit de primo, sed de secundo. Quatuor autem modis Eucharistiam dari contingit: vel benè malo, vel malè bono: vel benè bono, vel malè malo. Benè malo datur, quando in materia, & forma debita, nec non secundum ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ datur; verùm, qui sumit, indignè sumit. Et tunc, vel inscio dante, vel conscio: si inscio, nulla est dantis prçuaricatio, sed malè recipientis.

a In Psal. 142. a Non malum est, quod datur (inquit Augustinus) sed bonum malo in iudicium datur: benè esse non potest malè accipienti, quod bonum est. Si conscio dante, aliterq; fieri non potest, ne delictum, vni notum, cæteris innotescat; datur quidem sine culpa dantis, sed non sine culpa suscipientis. Sic Christus Iudam communicauit; tum, ne proditionis scelus occultum publicè expanderetur; tum, vt egregium suæ patientiæ exhiberet exemplum: b qui traditorem suum tantâ patientiâ pertulit, vt ei primam Eucharistiam, confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet, Ait Augustinus. Et alibi; c Simul in vnum diues, & pauper: non diuisi, non separati: tempus messis hoc faciet, manus ventilatoris hoc poterit: Nunc simul in vnum audiant diues & pauper: simul in vnum pascantur hædi & agni, donec veniat, qui segreget eos, alios ad dexteram, alios ad sinistram. d Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est, in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere, quoniam Deus commendat in hoc tempore

b Aug. in Psal. 10.

c In Psal. 48.

d Lib. 50. Homeliar Hom. 1.

pore

pore patientiam ſuam. Accedunt enim ignorantes, *e* quoniam patientia Dei ad pę-nitentiam eos adducit: illi autem ſecundum duritiam cordis ſui, & cor impœnitens theſaurizant ſibi iram in die iræ & reuelationis justi judicis Dei, qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. Secundo modo poteſt dari, malè bono; quando defectus non eſt ex parte recipientis, debitè præparati; ſed ex parte dantis, in aliquo ſupradictorum neceſſariorum deficientis: & tunc reatus eſſet ſolùm in dante. Tertio, datur benè bono, cùm neutrinq; adeſt defectus in requiſitis. Quarto, malè malo; quando à miniſtro indebitè datur, & à ſumente indignè recipitur: et tunc vtrinq; peccatur; vt eſt in hoc caſu.

e Rom. 2.

Secunda. *f* Achimélech ſacerdos dedit Dauidi panes propoſitionis, quibus veſci licitum erat ſolummodo ſacerdotibus; et Achimélech propter hoc in ſcriptura non reprehenditur: ergo & hic poterat ſacerdotali hoſtiâ laicum irreprehenſibiliter communicare.

f 1. Reg. 21.

Quod quidem authoritate Domini confirmatur, qui Phariſæis, Apoſtolos increpantibus, quòd ſpicas in ſabbato vellerent,

g Luc. 6. respondit. g Nec hoc legistis, quod fecit Dauid, cùm esuriret ipse, & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant, quos non licet manducare, nisi tantùm sacerdotibus? Porrò de ijsdem panibus ait Diuus

h De Cœna Domini. Cyprianus: h Per singula sabbata i panes propositionis jam frigidi & duri mutari

i j. Leuit. 24. consueuerant, & calidi panes eiusdem numeri in mensa proponi; jam nulla fit panis mutatio: vnus est panis caloris continui, status integri, qui semel oblatus Deo, in sapore dulcissimo, & cādore purissimo perseuerat. Nec solos sacerdotes ad panes huius dignitatis Leuiticæ prærogatiua admittit, vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur: æqua omnibus portio datur: integer erogatur. Et Sanctus Ambrosius duas

k Lib. 5. in Luc. 6. addens rationes, dicit: k Quomodo autem ille obseruator legis, atq; defensor panes & ipse manducauit, & dedit ijs, qui secum erant, quos non licebat manducare, nisi tantummodo sacerdotibus; nisi vt per illam demonstraret figuram, sacerdotalem cibum ad vsum transiturū populorum? siue, quod omnes vitam sacerdotalem debemus imitari?

tari?

tari: siue, quia omnes filij Ecclesiæ sacerdotes sunt: vngimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmet ipsos in hostias spiritales Deo. Ex his dilucidè apparet panem illum fuisse figuram Eucharistiæ, & ostendisse, fore tempus, scilicet Euangelij, quo sacerdos, & populus, non pluribus, ac diuersis; sed vno eodemq; sacro pane, eademq; hostia vesci deberet.

Ad quæ dico; & primò ad primum: quòd multæ intersunt differentiæ. Prima, quia ille erat simpliciter panis; & tametsi Corpus Christi figurabat, non tamen continebat: hic autem est secundum accidentia, panis; at secundum substantiam, est ipsum viuum, ac verum Corpus Christi. Secunda: quia Achimélech dedit in casu extremę necessitatis, cùm non esset ibi tunc alius panis; & Dauid, & pueri fame deficiebant: hic autem sacerdos dedit nulla exigente necessitate, cùm aliæ essent, vel esse possent hostiæ minores pro laicis communicandis. Tertia, quia quando Dauid petijt, erat solus, interrogante Achimélech; Quare tu solus, & nullus est tecum? licet postea pueri etiam comederint, allato testimonio puritatis: hic autem publicè; quod sine aliorum

ſcandalo minùs poterat fieri. Quarta: quoniam ibi fuit puritas ex parte ſumentis, diligenter à ſacerdote explorata: hic autem nō modica immunditia cordis Oſuualdum, de hoſtiæ quantitate titubantem, & de ſe nimis ſentientem, fædabat. Quare exemplum de Achimélech abſolutè non perſuadet; & conſequentia rem propoſitam non concludit.

Ad verba Chriſti adducta; dico, quòd textus idem ſe ipſum declarat, ſubiungens; l Et dicebat illis, quoniam Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati: id eſt, quod multò magis authoritatem haberet diſpenſandi; arguendo à minori ad maius, vel à figura ad veritatem: quodq; ille ſacerdos potuit in eo caſu, tum ob recitatas rationes; tum quia figuram Chriſti gerebat, ſine ſcrupulo diſpenſare.

l Ibid.

Ad teſtimonia Cypriani, atq; Ambroſii, dico: Hoſtiam ſacerdotalem duobus modis conſiderari; vel quantum ad ſubſtantiā; vel quantum ad accidentia. quantum ad ſubſtantiam, nulli dubium eſt, quin communis ſit vtriſq; communio; æqualiterq; communicet ſacerdos ac laicus: nam hic & ille ſumunt vnum idemq; Corpus Chriſti,

æqualis

æqualis quantitatis, & virtutis in minori hostia, vt in maiori: *m* Nunquid enim diuisus est Christus? Immò laicus cum maiori profectu sumeret, quàm sacerdos, si sacerdotem in dignitate præcellentem, in merito ac præparatione superaret. Et de hac quantitate loquuntur dicti Doctores. Sed quantum ad accidentia maioris aut minoris quantitatis specierum panis, remanet inter sacerdotem & laicum, ob dicendas rationes differentia. *m* 1. Cor. 1.

Tertia. Est præceptum Ecclesiæ communicandi semel in anno saltem in Paschate: cui Osuualdus forsan non paruisset, si maiori hostiâ non communicasset: sacerdos ergo non dando, inobedientiæ Osuualdi fuisset particeps. Dico: quod est etiam præceptum Ecclesiæ, dare in materia & forma debitis, & cum circumstantijs consuetis: volensq; obsequi vni præcepto Ecclesiæ, nó debebat alterum transgredi; multoq; minus in perniciem gregis. Neq; enim vno die Paschatis se coarctat Ecclesia, cùm potuisset, differendo ad tertium, & octauum diem, aut Osuualdum à tali opinione interim remouere; aut aliud remedium opportunum canonicé adhibere. Lex namq; merito

limitauit tempus, & ſapienter prouidit in caſu; poſt mandatũ immediatè ſubiungens: *n* Niſi fortè de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquã rationabilem cauſam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abſtinendũ.

n De pænit. & rem. Omnis utriuſq; ſexus.

Quarta. Non fecit hoc ob irreuerentiam Eccleſiæ, ſed ob reuerentiam Oſuualdi, qui ibi primas erat. Dico: quòd ob id non excuſatur, ritum notabilem totius Eccleſiæ cum aliorum ſcandalo, & ipſius Oſuualdi detrimento, auſu proprio peruertendo. *o* Baäl enim, licèt ariolus, nec prece, nec pretio; nec amore, nec timore induci vnquam potuit à Balac Rege Moäbitarum, vt malediceret populo Dei, cui Dominus benedixerat. Si dicatur, hoc non eſſe maledicere; dico eſſe peius, quia eſt malefacere.

o Num. 22. et ſequen.

Quinta. Ignoranter fecit; exiſtimans poſſe laicum maiori hoſtiâ ſine vlla differentia communicare, ſicut minori. Dico: quòd hæc ignorantia eum non excuſat vt ſacerdotem. Scribitur enim: *p* Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. *q* Contumelia ſiquidem ſacerdotum eſt (ait Gregorius) de diuinis cultibus

p Mal. 2.

q In Regis. cap. 5.

cultibus admoneri. Quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur.

Sexta. Nulla tunc adfuit manifesta Dei vindicta in sacerdotem; sed in Osuualdum, sic: ergo absente pœnâ, videtur abesse culpa. Dico, negando antecedens. Nam hiatum terræ, motum lapidis, impressionem digitorum, quæ ante, & circa sacerdotem, adhuc in ipso altari sacrificantem, contigerunt, ipsum quoq; sacerdotem vehementer deterruisse censendum est. Vel Deus, qui multò mitiùs res nostras agit, quàm nos ipsi ageremus, sacerdoti, siue ex timore, siue ex imperitia, siue ex leuitate transgredienti, at cum bona intentione simpliciter, & confidenter incedenti, clementer indulsit. Quinimmo sic; vt & alijs traderetur exemplum, quantâ circumspectione in sacerdotum excessibus diiudicandis procedendum sit. Hæc enim Mauritio Augusto scribit Gregorius: r Sacerdotibus non ex terrena potestate dominus noster citiùs indignetur; sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reuerentiam impendat. Tandem concludamus cum ſ D. Thoma, qui quærens; An sine ritu Ecclesiæ possit

r Ibid. cap. 75.

ſ Sup. 4. Sen. dist. 13. q. 2.

 Eucha-

Euchariſtia confici, ait: In hoc Sacramento, ſicut & in omnibus alijs, quædam ſunt ſubſtantialia, quædam accidentalia. Subſtantialia ſunt quatuor; ſcilicet, materia panis, & vini; forma verborum; ordo miniſtri; et intentio. Alia accidentalia ſunt pertinentia ad decorem, & ſolemnitatem Sacramenti. Si aliquid de ſubſtantialibus, omittatur, Sacramentum non conficitur. Si verò aliquid de accidentalibus ſolùm, conficitur; ſed grauiter peccat, qui ſcienter omittit: quia facit contra præceptum Eccleſiæ. De ſacerdote hactenus. Nunc Oſuualdi errorem ab ipſa animaduerſione diuina, in eum immediatè facta penſemus.

ERRORIS OSWALDI quantitas, & qualitas à judicij diuini oſtenſione comprehenditur.

Cap. VII.

SEx autem juſta Dei iudicia directè in Oſuualdum eo caſu inciderunt. Duo circa hoſtiam: duo circa altare: & duo circa terram: per quæ culpam illius indagabimus. Circa hoſtiam primum; quod

eam

eam non potuerit deglutire: ſecundum; quod, diuino miraculo, intincta Sanguine apparuerit. Circa altare autem, primum; quod lapis nullâ humanâ vi, nulloq; motu naturali ad Oſuualdum apprehendentem deflexerit: ſecundum; quòd digitis eiusdem contra naturam ſuæ naturalis duritiei conceſſerit. Circa terram verò, primum; quod miraculosè hiauerit: ſecũdum; quòd Oſuualdum partim abſorbuerit. Quæ quidem omnia eiusdem indicant quantitatem erroris, & qualitatem.

Quippe cum tanta inhæſio hoſtiæ in ore, vt ab eo comedi, & deglutiri non poſſet, refellit ex diametro errorem illum, quo is putabat maiorem Chriſti quantitatem, atq; virtutem in maiori hoſtia inueniri; quàm in minori. Iamq; olim non abſimili pœnâ fuit Iſraël à Deo recognitus: vbi etſi cœlicum manna haberet, quaſi *a* ſemen coriandri album, ſaporis ſimilæ & mellis; quod & *b* mola frangi, & mortario tundi, & in olla coqui poterat; ex eoq; tortulæ confici, ſaporis quaſi panis oleati; flebat tamen vulgus promiſcuum adiunctis ſibi pariter filijs Iſraël, dicens; Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Ob id iratus furore

a Exod. 16.
b Num. 2.

c Psal. 77. rore Dominus, c pluit quidem illis, sicut puluerem, carnes; et, sicut arenam maris, volatilia pennata; sed adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus; & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis. Veruntamen hunc percussit ad internetionem, qui sæpius correctus, semper recidebat in murmurationem: Osuualdum verò ad interminationem, qui semel correctus, statim surrexit ad emendationem. Idem penè casus accidit temporibus Diui Bernardi, d vbi vnâ præcipuarum festiuitatum quidam monachus, quem pro secreta culpa ab altaris communione suspenderat, notari timens, ad manum eius cum cæteris inuerecūdè accessit: eumq;, ne latens error cæteris panderetur, noluit prudens pater repellendo confundere; sed pro eo, vt id in bonum ei verteretur, Deum orabat. Ille verò Eucharistiam sumptam conatus ad interiora traijcere, neutiquam potuit: sed tandiu in ore seruauit, donec post sextam, seorsum pedibus Sancti patris prouolutus, erroremq; suum confessus, correctionem, absolutionemq; recepit. Simile quid, & mirabilius

d Li. 1. vitæ S. Ber. cap. ij.

rabilius

rabilius adnotat Cyprianus *e* de alio, qui &c ipſe maculatus, celebrato à ſacerdote ſacrificio, partem cum alijs auſus eſt latenter accipere, quam edere & contrectare nequiuit: immo apertis manibus, ſe cinerem ferre inuenit.

e Lib. de lapſis.

Cruentatio autem hoſtiæ, titubantem circa veritatem Sacramenti impugnat: ipſamq; hoſtiam verum Chriſti Corpus ſubſtantialiter, ac ſacramentaliter eſſe, apertiſſimè, perſpicueq; demonſtrat. Principium enim hæſitationum omnium ſuper hoc admirabile Sacramentum ab hæſitatione circa illius veritatem dependet. Quandoquidem hoc fundamento fideliter firmiterq; iacto; nempe, quòd ibi ſit ipſe Chriſtus; & quòd poſt conſecrationem nulla ſit ibi amplius panis ſubſtantia, niſi ſubſtantia Corporis Chriſti, animæ coniuncti, ac diuinitati; profectò quæcunq; alia difficilis cõtrouerſia facilè ſedari, & ad unumquodq; obiectum conſtanter ſolideq; poteſt reſponderi. De qua re Oſuualdus, ſaltem indirectè videtur dubitaſſe. Simili autem Sanguinis argumento Ieſus Chriſtus Dominus noſter uſus eſt, cum diſcipulis ſuis ad veritatem ſui Corporis, & reſurrectionis comproban-

probandam: quibus non solùm palpabilem,
f visibilemq́; se præbuit, dicens. f Palpate,
Luc. 24. & videte; sed & sua pretiosissima vulnera
patefecit: Ostenditq; eis manus, & pedes.

DE DVABVS DEMONstrationibus circa altare.

Cap. VIII.

COmmotio insuper ac declinatio altaris ad Osuualdi contactum, eiusdem arrogantiam deprimit; qui, etsi laicus, volebat tamen sacerdotali hostiâ communicando, sacerdotio quodammodo abuti, & sacerdotis dignitati per obliquam viam coëquari. Cùm tamen altaris, sacrorumq; ministerium & reuerentia tanti fiant in
a Num. 4. a scriptura, ut ad Sanctasanctorum solus Pontifex semel in anno ingrederetur: tantumq́; sacerdotibus sacra vasa, & altare aureum inuoluere; alij autem nullâ curiositate videre poterant, quæ erant in sanctuario, priusquam inuoluerentur, alioquin
b moriebantur. Quapropter b Ozias cùm
2. Par. 26. usurparet sibi, thuribulum inferre in templum, resistentibus ei filijs Aaron, & Leuitis, velut

tis, velut illicita affectanti; isquè regiâ potestate subnixus, qui & nobilis interpretatur, illis communicatus esset, confestim à Deo leprâ est percussus: et visa est lepra bis in fronte eius, & exiliuit foras, & sedit usq; ad mortem suam leprosus. *c* Videte (inquit Chrysostomus) quàm illicitum est usurpare opus, quod à Deo non est commissum. Quale fecit peccatum laicus usurpans sibi opus clericale, tale facit peccatum & lector, si usurpauerit opus diaconi; et diaconus si usurpauerit sibi presbyteri opus; et presbyter si Episcopalem appetierit dignitatem. De qua re agens quoq; B. Cyprianus, ait: *d* Ozias, licèt Rex, ob præsumptionem leprâ percussus, à sanctuarij ingressu repellitur, & eius oblatio, quasi sordida reputatur. Incensi odor de immundorum manibus reputatus est pro fætore; et iram, non gratiam præsumptio meruit: quia contra fas rem usurpans illicitam, temerariè in sancta conscendit. Sed & propter malignantium insolentiam, altare suum Deus repellit, & sanctificationibus maledicit; odit sabbata; abominatur solemnia; odoromenta fætent; displicent holocausta. Porrò *e* arcam ipsam solummodo sacerdo-

c Hom. 7. in Matth. 16

d De Cæna. Domi.

e Num. 3.

tes de

tes de Leuitica ſtirpe portabant: populusq; ſequi debebat tantâ diſtátiâ, ut inter ipſum, & arcam ſpatium eſſet duûm millium cubitorum. Quamobrem benè agitur cum nonnullis Eccleſiis, quorum altaria columnellis coronata, ſaltem ligneis, ſeculares à nimia altaris vicinitate coërcent. Scriptum eſt enim: *f* Cauete, ne appropinquetis ad arcam. Et *g* Clemens Papa decreuit nulli laicorum licere in eo loco, vbi ſacerdotes, & reliqui clerici conſiſtunt, quod preſbyterium nuncupatur, quando Miſſa celebratur, conſiſtere: ut liberè, atq; honorificè poſſint ſacra officia exercere.

f Ibid.

g De conſ. diſt. 2. Sacerdotum.

Jmpreſſio verò digitorum in ipſo viuo lapide altaris, Oſuualdi contumaciam, paulatim incrudeſcentem redarguebat: quòd durum ſaxum carneis manibus palpãtibus molleſceret; cor autem hominis carneum, verbo Dei, *h* quaſi malleo conterenti petras, dureſceret. Illi quidem verbo, quo Dominicum Corpus non diminutum; aut jam contractum, jam dilatatum, conficitur: neq; in hoc puſillo pane puſillum; neq; in illo magno magnum; ſed in hoc & illo ſemper in ſuamet eſſentia, ſubſiſtentia, & integritate idipſum: ita ſub alterabilibus

h Hierem. 23.

ſpeciebus

ſpeciebus panis, & vini, quemadmodum in ſe ipſo eſt, inalterabile prorſus, & indiuiſibile. Huiuſcemodi autem humani cordis durities, aliàs etiam per lapides in ſacris literis reprehenditur: cum ſolidum *i* ſaxum fractum eſt potiùs & exundauit ad tactum fragilis ligni, manusq; Moyſis ingrauеſcentis; quàm cor populi illius, quotidie peruicaciùs, ad vocem & manum Dei omnipotentis. Cumq; montani *k* lapides in Dominica Paſſione à ſummis ad ima ſciſſi concrepuère, cordibus Phariſæorum ab immani ſæuitia perpetuò inexcuſſis; maioriq; in dies pertinaciâ proteruientibus.

i Exod. 17.

k Matt. 27.

Perge adhuc; obſerua, quid natura in animalibus faciat, quæ ad rei noxiæ contactum reſtringũtur, ſecus delectabilem dilatãtur; & cogita, hoc itidem effeciſſe altare, ſenſu penè indito ab auctore naturæ: dum peccatoris digitos perhorreſcens, ſeipſum, veluti motu conſtrictionis recedendo, contraxit. *l* Quid eſt enim altare, niſi ſedes & Corporis, & Sanguinis Chriſti? Igitur procul inde viri ſanguinum, procul profani. Si retrahitur ſedes, nõ arguet ſeſſor? Si ipſe lapis horrorem, ſi ipſum altare ſenſit offenſã, puta, num indignè accedens placeat Chriſto.

l Optatus lib. 6. cõ. Parmen.

DE ERVPTIONE, ac defectu terræ.

Cap. IX.

CÆterùm, quòd nulla naturali causâ impellente dissiliens terra præscriptis limitibus dirumperetur sub pedibus eius, potissimùm indicat ipsius despectum in sacerdotem: cuius & diuinum non magnifecit officium; & salutaria monita, quæ faciliè intercesserunt, non recepit; & dignitatem in hostiæ quantitate ausus est quodammodo vsurpare. Quibus tribus præsertim generibus, a Core, Dathan, & Abiron aduersum Moysen & Aaron peccauerunt.

a Num. 16.

Despexerunt enim eos, dicentes: Cur eleuamini super populum Dei? Item noluerunt eis obedire, cùm Dathan, & Abiron vocati, responderunt: Non venîmus. Deinde voluerunt eis comparari asserentes, quia omnis multitudo, Sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Quapropter confestim vt Moyses cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: et aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersâ substantiâ eorum: descenderuntq; viui

viui in infernum operti humo,& perierunt de medio multitudinis. Neq; vllum ex illis tribus euasisse ambigendú est, etsi Core prætermisso dicatur in psalmo : *b* Aperta est terra,& deglutiuit Dathan; operuit super congregationem Abiron. Supressum enim arbitror nomẽ illius, tum quia alio genere mortis cum ducentis quinquaginta suis absumptus est; de quibus mox dicitur; * Exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores : tum propter filios eius, qui errorem patris non sunt sequuti neq; sunt cum patre puniti, sed sine patre sunt benedicti : propter quod pro firma regula dat *c* Hieronymus: quicunq; psalmus præscribatur filiorú Core, eum nihil triste habere,& semp læta significare. Itaq; qui cótra sacerdotem facit, contra Moysen,& contra Aaron facit. Vnde Chrysostomus postquam eleganti paradigmate sacerdotes Euangelij digniores sacerdotibus legis demonstrauit, inquit: *d* Quare judicio quidem meo, qui istos despiciunt, contemnuntq;, multò sceleratiores, ac maiori supplicio digni fuerint, quàm Dathan vnâ cùm omnibus suis.

b Psal. 105.

c In Psal. 83.

d De sacerd. lib. 3.

Tandem ideò terra eum partim deuorauit, ut superbiam eius deprimeret, qui in seipso nimium intumescens, cum cæteris

laicis in communione minoris hostiæ renuit conuenire. e Per tria enim mouetur
e Prou. 30. terra, & quartum non potest sustinere: per seruum cùm regnauerit per stultum, cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillā cùm fuerit hęres dominæ suæ. Tunc autem seruus regnat, cùm sensus super intellectum suscipit diadema. Tunc stultus saturatur cibo, cùm potentia irascibililis, nullis percita loris, huc illuc, tanquam ebriosa, insanit. Tunc odiosa mulier in matrimonio assumitur, cum vis cōcupiscibilis voluptuosè bacchatur. Ancilla verò tūc est hæres dominę suę, cùm superbia in eam resilit arcem, quę debetur humilitati: cumq́; huic, tanquā jure hęreditario, vult pręesse, cui ipsa potiùs diuino humanoq́; jure cogeretur subesse. Hunc verò justitię ordinem potest vtiq; peruersus homo peruertere; Deus autem disponens omnia, suis locis restituit vniuersa;
f Cant. Mar. f Deponitq́; potentes de sede, & exaltat humiles. Potuit quippe Osuualdus super sacri altaris cælestem altitudinem, vnde altare dicitur, extensis superbiæ alis, temerè exaltari, eam scilicet hostiam, quæ soli altaris sacrificio deputatur, consequendo: at quia locus ille debetur humilitati, meruit inde

conti-

continuò deijci, & ad locum, superbiæ debitum, cum rubore tremoreq́; deponi.

Ita equidem meruit, quia & in fide hæsitauit. g Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Agitantur fluctus â ventis, in sinu quiescere non possunt: tolluntur in äera, nec ibi consistere valentes, ad ima rursus præcipites corruunt: iterum subleuantur; iterum demerguntur: ad littora effluunt, nec in littoribus consistentes, denuo ad gurgitem reuocantur. Ita planè qui in fide titubat; neq; in sinu Ecclesiæ, scit humiliter conquiescere, vt in gremio matris; neq; cœlestibus diuinisq́; scripturis sistit; neq; si ad imas latasq́; rationes humanas recurrit, inuenit requiem: sed à spiritu superbię elatus, tentationibus varijs mouetur, & circumfertur: nec moueretur, nec circumferretur, nisi, velut aqua, esset lubricus, & instabilis: h Cor impij, quasi mare feruens. O mare, ô cor: vtrumq; profundum; vtrumq; instabile, & scopulosum. Fluctuabat cor Osuualdi; et vbi insideret, non inueniebat: idipsum circa corpus accidit; vt fluctuatio cordis in culpa, manifestaretur in fluctuatione corporis in pœna:

g Iacob. 1.

h Esa. 57.

 quod

quòd nec inferiùs, hiante terrâ, consistere valuit; nec superiùs, liquente altari, potuit sustineri.

His igitur modis omnibus circa eandem rem Osuualdus peccauit. Verùmenim verò præcipuus illius error fuit, existimare maiorem Dominici Corporis quantitatem, virtutemq; in maiori hostia cõtineri, quàm in minori. Cui quidem quoniam non contentiosè, neq; immutabiliter inhæsit; tametsi *i* cecidit, non est collisus, quia Dominus supposuit manum suam, eum cum à casu corporis, tum à ruina & confusione animæ jugiter liberando.

i Psal. 36.

Et vnde non est collisus? Nimirum, vt qui peccatum in malè sumpto Sacramento commiserat, propitiationem in benè oblato sacrificio inueniret: et ab hostia, in quam peccauerat, expiationis nosceret potestatem. *k* Singulariter enim ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is, qui in se *l* resurgens à mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem no-

k Greg. In Euang. Hom. 37. et lib. 4. Dial. cap. 58.

l Rom. 1.

stram.

ſtram, paſſionem illius reparamus. Et, ſicut in paſſione crucifixoribus pepercit, pro quibus Patrem orauit; ita in paſſionis myſterio, Oſuualdo condonauit offenſam, pro qua etiam, in paſſione ſoluerat pretium.

NVM ERROR OSWALDI *fuerit hæreſis; & num ipſe hæreticus.*

Cap. x.

QVanta verò, qualisq; fuerit huiusmodi offenſa, ſufficienter noſcitur à quãtitate, & qualitate erroris: qui quoniam circa Sanctam Euchariſtiam, communi Eccleſiæ ſententiæ non cohæret, & ſacræ ſcripturæ teſtimonio (*a* vt inferiùs dicemus) aduerſatur, hæreſis quidem fuit, quam tamen nos communiter nominamus errorem: et, ſi quis eam firmiter teneret, absq; dubio eſſet hæreticus. *b* Hæreſis enim (inquit Hieronymus) Græcè ab electione dicitur: quod ſcilicet eam ſibi vnusquisq; eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Vndè, quicunq; aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritusſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licèt ab Eccleſia non receſſerit, ta-

a Cap. 11.

b Lib. 3. in Ep. ad Gal. 5. et habetur 24. q. 3. Hæreſis.

rit, tamen hæreticus appellari poteſt. Differunt autem error, & hæreſis, & aliquo modo ſunt vnum. Differunt quidem, tanquam inter ſe diſpoſitio, et habitus: nam cum quis circa ſcripturam, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ doctrinam hæſitare incipit, ſenſim in errorem vehitur, & ad hæreſim diſponitur: cùm vero poſt tempus pertinaciter concepto errori inhæſerit, in hæreſim labitur, et fit hæreticus. Vel differunt, vt inter ſe genus, et ſpecies. *c* Non enim omnis error, hæreſis eſt; quamuis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo, hæreſis eſſe non poterit. Illa vero hæreſis in vitio ponitur, quæ ſcilicet ab Eccleſia damnatur, et anathematizatur.

c Aug. in præf. li. de hær.

Hinc igitur noſcitur, vnde error, et hæreſis ſint quodammodo vnum; dum ſcilicet hæreſis abſq; errore eſſe non poteſt. Eſt autem *d* error, falſi pro vero approbatio: et *e* errare eſt, pro vero falſum putare. Quod quidem faciunt hæretici, dum ſua ſibi ſchemata fingunt, contrarium ſcripturarum ſenſum peruersè eligendo, eumq; pro vero ac genuino ſenſu, tanquam indito à Spiritu-ſancto, audacter approbando, & perniciosè docen-

d Idem li. j. cō. Acad. cap. 4.

e Diſt. 38. Quamuis.

docendo. *f* Nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. Hoc igitur modo error hæreſisq; conueniunt: nomenq́; erroris, pro hæreſis nomine in ſacris literis, et apud Sanctos Patres frequentiſſimè vſurpatur. Quos & ipſe ſum jam ſequutus: non ob id ſolùm; verùm etiam, vt cum Oſuualdo parciùs agerem: eiq; ego vnius verbi modeſtiâ indulgerem, cui infinitâ miſericordiâ indulſit Deus.

f Aug. li. 7. ſup. Gen. ad li. c. 9.

Porrò num ipſe quo tempore errauit, fuerit dicendus hæreticus, interroganti, ex præpoſitis non difficilè poterit reſponderi. Nam quâ hæſitauit in eo, quod immobiliter vniuerſa confitetur Eccleſia, hæreticus communiter potuit appellari. Sicut etiam; *g* Dubius in fide, infidelis eſt. Dixi autem communiter: nam propriè is eſt hæreticus atq; excommunicatus, qui *h* remotus eſt ab Eccleſia, quia errat in fide: nec dicitur remotus ab Eccleſia, qui adhuc in ſinu Eccleſiæ eſt, vt poſſit velitq; doceri. Vnde Auguſtinus: *i* Qui in Eccleſia Chriſti, morbidum aliquid, prauumq́; quid ſapiunt; ſi

g Ex. de hær. Dubius.

h Ibi. cap. Ad abolendam.

i Aug. li. 18 de Ci. Dei cap. 51. et

 correcti,

Habetur 24. q. 3. Qui in Ecclesia.

correcti, vt sanum rectumq́; sapiant, resistunt contumaciter, suaq́; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis. *k* Qui autem sententiam suam quamuis falsam atq; peruersam nullâ pertinaci animositate defendunt; sed quærunt cautâ solicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Et S. Thomas juxta hanc D. Augustini doctrinam, distinctè, ac disertè, vt semper solet, ait: *l* Ad rationem hæretici duo concurrunt: vnum; scilicet error in ratione, quod est hæresis initium: alterum; scilicet pertinacia in voluntate, quod est hæresis complementum. Tales ergo propriè dicuntur hæretici, quia errori rationis in his, quæ sunt fidei, admiscent pertinaciam voluntatis.

k Aug. con. Don. pt. ep. 162. et hab. 24 q. 3. Dixit Apo.

l In 4. Sen. d. 13. q. 5.

Constat igitur ex his, Osuualdum non fuisse talem, qui contra Ecclesiæ veritatem obstinatè sentire, & contra eandem, suam defendendo opinionem, perfidè pugnare voluerit: videlicet quòd plures maioresq; Corporis Christi partes, & simul maiores gratiæ in maiori hostia cōsecrata continerentur

rentur, quàm in minori. Sed circa hoc ſibi ipſi aliquo modo inconſtans, ſuperbiâ agitatus, ab alijs laicis, minori hoſtiâ communicantibus, differre voluit: quæ quidem ſuperbia, errori ſuperaddita, fecit vt maiorem hoſtiam inſtanter peteret, actuq; haberet: quam, Deo prohibente, deglutire nequiuit; cui faucium latebras clauſit, terræ vero aperuit. Hęreſis autem propriè ſumpta in Oſuualdi vxore aptiſſimè deſignatur.

VXOR OSWALDI hæreſim repræſentat.

Cap. XI.

ETenim, ſi perſonam, ſi locum, ſi conſequentia attentè conſideremus, hæreſim ad viuum videbimus in Oſuualdi vxore repræſentatam. Hæc enim (vt perſonam inſpiciamus) fœmina erat, et vix vnquam in ſcriptura inueniemus quicquam boni in fœmina repræſentari: cum & ipſe Deus victimas ſibi offerri *a* maſculinas impoſuit, ex hoc apertè concludens, *b* maſculum, ſymbolum eſſe boni, fœminam mali. *c* Melior eſt enim iniquitas viri, quàm mulier benè

a Leuit. 15.
b Orig. ho. 1. in Le. 1.
c Eccle. 25.

lier benè faciens: id est; *d* Breuis est omnis
d Eccl. 42. malitia super malitiam mulieris. Adeoq;
difficile est mulierem bonam (etsi nonnul-
e læ inueniantur) inuenire, vt *e* virum bo-
Eccls. 7. num de mille vnum reperisse; mulierem
verò ex omnibus his non inuenisse, teste-
tur Sapiens. At quamuis omnia malarum
fœminarum vitia hæresi verissimè congru-
ant, decem tamen solummodo, breuitati
consulens, enumerabo. Est enim fœmina,
carnalis, fallax, loquax, litigiosa, inuida,
superba, ignorans, hypocrita, venefica, &
idololatra: talisq; prorsus est hæresis.

Adeo inquam carnalis est mulier, vt æ-
f què ac *f* vinum apostatare faciat sapientes:
Prou. 19. adeoq; carnalis, est hæresis, vt ob libidinem
saturandam plures non indocti à fide apo-
statantes, facti fuerint hæretici. Quocirca
Apostolus opera carnis recensens, tredeci-
mo loco sectam recitauit, & post sectam,
g quatuor alia subtexuit. *g* Manifesta (in-
Gal. 5. quit) sunt opera carnis, quæ sunt, fornica-
tio, immunditia, impudicitia, luxuria, ido-
lorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, con-
tentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissen-
siones, sectæ: inuidiæ, homicidia, æbrieta-
tes, comessationes, & his similia. Nam

secta,

secta, tanquam omnia carnis opera continens, non super, aut subter, sed infra, quasi superiora substentans, et inferiora pariens ac fouens, meritò collocatur. Quare non tantum fœminæ, sed prostitutæ meretrici à Domino comparatur: *h* In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cùm facias hæc omnia opera mulieris meretricis, & procacis? quia fabricata es lupanar tuum in capite omnis viæ; et excelsum tuum fecisti in omni platea. Nec facta es, quasi meretrix fastidio augens pretium; sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos Hæc autem omnia de hæreticis intelliguntur, cùm *i* deserentes Ecclesiam hæresibus varijs polluuntur, & ad peruersitatem suæ doctrinæ, testimonijs scripturarum abutentes, fabricant sibi lupanar, in omnibus viarum principijs, media scilicet, & profunda diuinæ scientiæ non penetrantes; sed seipsos erroribus ingerentes, dum vero Dei cultu deserto, diuitias religionis profundunt; seq; vitijs, luxuriæq; permittunt.

h Ezech. 16

i Hieron. sup. Eze.

De fallacia autem fœminæ monet Salomon: *k* Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis. & nitidius

k Prou. 5.

nitidius oleo guttur eius: nouissima autem eius amara, quasi absynthium, et lingua eius acuta, quasi gladius biceps. Sed neq; has artes, dolifabri ignorant hæretici: qui velut Syrenæ, dulcia canunt carmina, à quibus quis non euadit, nisi obturauerit aures suas *l* Omnis enim sermo eorum concinnus atq; compositus, et habens pulchritudinem eloquentiæ secularis, vt facilius decipiant audientes. *m* Vide (inquit Hieronymus) hæreticos in dialectica sibi & rethorica, & omnium sophistarum dogmatibus applaudentes, contemnere Ecclesiæ rusticitatem: et quasi indignam mysterijs suis, quæ sibi, quasi idôla confinxerunt, despicere, & habere pro nihilo. Attamen gaudet suâ simplicitate Ecclesia, quę sua etiam gaudet veritate; Iordanis aquas bibens suauiùs, quàm Nili. Non scænica pro scænis, quas obscænas dixerim; quemadmodum hæretici fabulantes faciunt, quos histrionibus congruentissimè comparat *n* Tertullianus: sed sacra pro sacris, & Euangelica secundum Euangelij puritatem accommodans; Rectoris potiùs, quàm Rethoris leges; Deiq; stylum, Christi frasem antè sequuta, quàm cuiuspiam hominum. Nonne Hieronymus la-

l Hier. in locl. 1.

m In Soph. 2.

n Lib. de pudic. cap. 8.

mus latinæ linguæ eruditiſſimus? Is tamen ſacros libros exponens, melum dicere maluit, quàm malum, ne ex ſimilitudine ſermonis ſimpliciores aliqui arborem mali, malam arborem putarent, à malitia dictam: o Melius eſt enim (ait) vt grammaticos offendamus, quàm legentibus ſcrupulum aliquem in veritatis expoſitione ponamus. o In cantica can. 3.

Loquax item, & garrula eſt fœmina, indeq; inſidiatrix; de qua ſcribitur: p Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis: nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians. Quid aptius? Dicas ſanè hic Salomonem deſcripſiſſe hæreticum: q cuius doctrina in multiloquio, & clamore verſatur: inflatus tumet, & ſacratiora ſe inueniſſe gloriatur. p Prou. 7. q Hier. li. 7 in Eſa. 22.

Jndeq; litigioſus eſt perinde ac mulier, de qua legitur: r Tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier. Quem locum de hæreſi interpretatur Hieronymus, & duabus ſimilitudinibus in vna ſimilitudine probat. ſ Sicut enim tecta perſtillãtia, pluuiam quidem de cœlo ſuſcipiunt, nec tamen hanc ad vtilitatem aliquam diſpertiunt, ſed ad moleſtiam r Prou. 19. ſ In hunc locum. lib. 3.

lestiam potius inhabitantium deriuant: ita nimirum hæreticorum Ecclesia, cœlestium dona verborum non ad salutem animarum, sed ad suæ vsum nequitiæ male interpretando, & contra Catholicos litigando conuertit. Tecta enim perstillantia, mundas quidem pluuiæ guttas accipiunt, sed sub tectis in domo sordidas reddunt: & hæreticus limpidissima cœlestis oraculi verba auditu corporis haurit; at vbi hæc corde polluto attigerit, auditoribus suis sorde polluta ministrat.

A RELIQVIS MALÆ *fœminæ vitijs describitur hæresis.*

Cap. XII.

INuidiam autem fœminarum discamus ab vna: a quæ cum altera ante Salomonis tribunal constituta, æmulæ suæ filium scindi in duas partes consenserat; vt ipsa, cui perierat filius, viuo filio priuaret & alteram. Nec longè aliter Ecclesiæ inuidentes hæretici; in eandem malignè conspirant: & qui Christum amiserunt, eundem vellent ab Ecclesia

a 3. Reg. 3.

ab Ecclesia eliminare. Nam *b* quia eius quoq; magnitudini inuident, quod in fide vera populos vniuersaliter tenet; cum terrenæ prosperitatis tempus inueniunt, contra eam in superbiæ vocibus excedunt; et exprobrantes aperiunt, quantum prius eius potentiæ inuidebant.

b Greg. li. 13. Mor. cap. 3. in Iob. 22.

De superbia verò Chrysostomus multis in mulierem inuehens, inter cætera ait; *c* Mulier mala etsi iniuriam patitur, etsi honorem accipiat, extollitur. Veruntamen quantàcunq; superbià extollatur mulier, ab hæresis superbia superatur. Si nosci parens per filios potest, ab vna superbia omnes hæreses procreantur: vides, quàm superbiant filij, cogita, qualis sit mater. *d* Alia enim secta est in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia: verbi gratià, diuersis locis sunt diuersæ: sed vna mater superbia omnes genuit; sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles, toto orbe diffusos.

c In decoll. S. Ioan. Bapt. Hom. 15.

d Aug. ho. de Pasto-rib. ca. 8. in 34. Ezech.

Adhuc in speculatiuis, atq; polyticis magna est fœminarum ignorantia: quibus, quoad speculatiua, *e* tacendum iubet Apostolus; ac si quid discere velint, domi viros suos debeant interrogare: et à quibus,

e 1. Cor. 14.

f 5. Polyt. quoad polytica, f malè regi ciuitates docet Philosophus. Vtinam & sic tacere cogerentur hæretici: vtinam nulla vspiam eis cura, vt cæcorum cæcis, demandata esset: qui ignorantiæ malitiam immiscentes eò nocent indiscretiùs, quò ignorantiùs: eo magis periculosè, quò magis malitiosè.

g Aug. Tra. 18. in Ioan. 5. g Neq; enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis, illaqueantia animas, et in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè: et quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, et audacter asseritur.

Hypocrisim verò ac superstitioné, nescio vbi citiùs, quàm in fœmina inuenire: h Quæ apprehensum deosculatur juuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute deuoui; hodie reddidi vota mea; idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. At fœminas omnes in huiusmodi longè antecellunt hæretici: i Quorum sagena est sermo affabilis, blandum eloquium; simulata, aut coäcta jeiunia; vestis humilis; virtutum imitatio.

h Prou. 7.

i Hieron. in Eccl. 9.

His omnibus veneficia accedunt, quibus fœminæ (vt leuiores) multò magis quàm mares,

mares, vinciuntur. Vnde *k* Saul omnibus *k* 1.Reg.28.
Magis hariolisq́; de terra erasis, phytonissam adhuc inuenit, quam ad Samuelem sibi suscitandum compelleret. Sed neq; ab his, qui omnium generum fraudibus impensissime operam nauant hæretici abstinent: quos in tres classes diuidens Chrysostomus, inter hypocritas, et seductores, maleficos collocat: *l* Alij enim se dicunt neq; *l* Hom. 48. in Matth. 24.
manducare, neq; dormire: neq; algere, neq; æstuare; sed semper pendere in aere. Alij vestiti cilicijs, aut circundati catenis, socia sibi dæmonia commouentes: & quia gratiam Dei non habent patrocinia dæmonum commendant. Alij fidem annunciant: quoniam sic ecclesias habent; sic ordines clericorum; sic fideles; sic lectiones legunt diuinas: eadem videntur dare baptismata; eadem sacramenta Corporis & Sanguinis Christi: similiter Apostolos, & Martyres colunt. Per hæc ergo valde tenebrescere faciunt mentes non solùm mediocrium hominum, sed etiam prudentum.

Deniq; si idololatria quæratur, inter fœminas facile est inuenire: occurretq́; fortassis Rachel, quæ *m* furata idola patris sui, *m*
menstruatam se simulat, vt abscondat; eisq́; Gen. 31.

 insidet,

insidet, ne amittat. Sed dicamus de his, qui esse templum Dei destiterunt: quanta (Deus bone) idolorum turma atq; deformitas in altis hæreticorum cordibus resident, vt in asylis? Profectò n singuli hæreticorum habent Deos suos: et quodcunq; simulauerint, quasi sculptile colunt, atq; conflatile. Quamobrem si hæc, & quæcunq; alia, quę de mala fœmina dici possunt, ad hæresim referamus, comperiemus certè, nihil tam benè hæresim exprimere, vt mulierem. Illam vero à loco etiam, & consequentibus clariùs designare jam superest.

n Hieron. in Oseæ. cap. ij.

PER SCHARNITZ *describitur hæresis*

Cap. XIII.

LOcus enim, in quo mulier diuagabatur, sylua fuit: consequentia autem fuère duo: rosarum ex alterius speciei stipite procreatio; et incredulæ mulieris, paulo post morientis, amentia. Delineat adhuc mores hæreticorum sylua: et in duas species eos distinguunt duo casus sequentes: in resipiscentium scilicet, ac pereuntiũ.

Etenim

Etenim ij in nemoribus habitant, qui à ciuium vnitate, quæ eſt ciuitas, ſeparantur: et in nemoribus dicuntur habitare hæretici, dum ab Eccleſiæ vnitate diuiſi, belluarum eligunt vitam, ferarum rabiem atq; naturam penitùs æmulantes. De quibus dicitur: *a* Rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate, & miſeriâ; et mandebant herbas, et arborum cortices. Rodunt quippe ſcripturam hæretici (ait *b* Gregorius) quia per ſupernam gratiam non adiuti; hanc comedere nequeuntes, quaſi quibusdam niſibus rodunt. In ſolitudine memorantur; quia ab Eccleſia diſiuncti ſunt: de qua ſolitudine Dominus præmonuit: Si *c* dixerint vobis; ecce in deſerto ſunt, nolite credere. Herbas, & arborum cortices mandunt; quia elationis ſuæ obice repulſi, in ſacro eloquio magna, et intima percipere nequeunt. Vel certè herbas mandunt, dum de ſcriptura ſacra, minima præcepta ſeruant, maiora contemnunt: quos Dominus increpauit: *d* Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam, et anetum, et cuminum; et reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis. Jmmò ſi ſerpentum cubile eſt ſylua, ſer-

a Iob. 30.

b Lib. 20. mor. ca ij in hunc locum.

c Matt. 24.

d Matt. 23.

e Chryſ. hom. 45. in Mat. 23

pentes ſunt omnes hæretici, *e* prudentes in malo, ſtulti in bono: et ſicut ſerpentes varij ſunt in corpore ſuo; ita hæretici, varij ſunt in ſermonibus ſuis, et multiplices in malignitate.

Jtemq; ſi luporum latibulum ſylua eſt; ſi ſpinæ nullibi magis tanquam in proprio loco radicant, et rigeſcunt, quàm in ſylua; planum eſt hæreticos lupos eſſe, et ſpinas, quos in ſyluis collocare non dedecet: et quos cauendos Dominus propoſuit, dicens: *f* Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos: nunquid colligunt de ſpinis vuas? Quod lupi ſint ſub ouina pelle, ipſa ſemet comparatio explicat: quod vero ſpinæ, duabus ſimilitudinibus poſſumus declarare. *g* Quemadmodum enim ſpina, ex quacunq; parte illam conſpexeris, habet aculeos; ſic et ſerui diaboli, ex quacunq; parte eos conſideraueris, iniquitatibus pleni ſunt. Si loquitur hæreticus, in dolo loquitur: ſi tacet, malè cogitat: ſi iraſcitur, inſanit: ſi patienter agit, tempus expectat nocendi, et oportunitatem conſiderat, quãdo noceat: ſi malè agit, non erubeſcit: ſi

f Matth. 7.

g Chryſ. Hom. 19. in Matt.

benè

benè facit, ad vanam gloriam propter homines facit: quomodo proferat bonum fructum, cuius radix diabolus est? Item sub arbore bona et bestiæ, et animalia requiescunt, sub spinis autem nullum animal requiescere potest; nisi tantummodo serpentes: sic, juxta fideles homines et boni et mali homines pacem habere, ac accipere possunt; juxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neq; requiescere; nisi tantummodo serpentes, idest dæmonia, quæ cubilia habent in pectoribus eorum.

Ecce qualem Scharnitz fatua mulier ista frequentat: ecce quas vrbes, qualia terrarum spatia vesani nanciscuntur hæretici, dum ab vtraq; Hierusalem per saltus inuios elongantur. Qui nihilominus et regredi posent, & mœnia penetrare; modò per viam incederent; et ostium pulsarent. Requiritis viam? fit obuiam Christus, et ait: *h*
h Ego sum via. In cælum tenditis? hâc itur. Ioan. 14.
i Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Per- *i*
quiritis ostium? *k* Ego sum ostium, dicit Ibid.
Dominus. Hæsitatis? *l* Per me si quis in- *k* Ioan. 10.
troierit, saluabitur. Vultis ingredi? *m* Pul- *l*
sate, et aperietur vobis. Currite, hæretici, Ibid.
discurrite, quocunq; libet; Christum sine *m*
 Chri- Matth. 7.

Christo quærere potestis; inuenire nequaquam. *n* Sine me, inquit, nihil potestis facere. Dicitis; vbi est Christus? Ipse respondet: *o* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Cum quibus? Cum discipulis suis, quibuscum loquebatur. Nonnè hi in Domino requiescunt? Vtiq;. Peribit igitur verbum Domini? Absit. Cum quibus igitur continuò vsq; ad consummationem sæculi erit? cum successoribus discipulorum: cum eadem Christi Ecclesia, quam discipuli constituebant, in qua posteros successiuè in eadem fidei vnitate repræsentabant. Sed nunquid non aliàs etiam discipulis dixit; *p* Me autem non semper habebitis? Si non semper, quomodo omnibus diebus? quomodo vsq; ad consummationem sæculi? Facilis est solutio, ait *q* Eusebius, si duarum in Christo naturarum memores simus: quod enim ait; Me autem non semper habebitis, de præsentia carnis intelligere debemus, quia post resurrectionem die quadragesimo cœlos ascendit. Vrgetis? Veritas non caret eloquio. Ero vobiscum, ait, vsq; ad consummationem sæculi, in Petro, in successoribus eius: Me autem non semper habebitis;

n Ioan. 15.
o Matt. 28.
p Mar. 14.
q Emis. in Dom. Pal.

habebitis;

bebitis; quia non eadem persona ipsi erunt, tametsi meam cum collata potestate repræsentabunt. Ero vobiscum omnibus diebus, in Ecclesiasticis ministris meis: me autem non semper habebitis; quia hi quamuis sancti, & docti, sanctitatem et doctrinam meam non adæquabunt; non erunt omnino tales, qualis ego sum sanctus sanctorum, & vnus Magister vester. Sed etsi aliquos minus bonos, minusq; doctos inter eos interdum fore præuideam, non proptera deseram vos, sed ero vobiscum omnibus diebus, in sacramentis: ero vobiscum, per gratiam: ero vobiscum, per essentiam interminabilem; per præsentiam inuisibilem; per potentiam insuperabilem; ero vobiscum, per fidei firmitatem; per doctrinæ sinceritatem; per potestatis æternitatem; per spei certitudinem; per charitatis operationem; Vt sponsus; vt amicus; vt saluator; vt Deus: vt lapis, qui à fundamento euelli non potest. In angustijs, in persecutionibus vestris, quando quis forsan me abesse putabit; quando quòd me non habeatis, clamitabunt aduersarij vestri, tunc è medio respondebo; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.

Omnibus, inquam, diebus, vt ne momentulo quidem me careatis: vsq; ad consummationem sæculi, usq; ad illa tempora calamitosa filij perditionis, indeficiens perdurabit fides Petri in successoribus eius:

l Luc. 22. *l* pro quo ipse rogaui, quem *m* semper audit

m Ioan. ij. Pater. Et tunc cessabit quidem motus; non cessabit Ecclesia: transibit mundus; Ecclesia non transibit; sed transferetur, à militia ad triumphum; à via ad patriam; à labore ad præmium. Et nos (dicitis) illis successimus, et nos ad Ecclesiam pertinemus. Probate hoc, si potestis. Si discipulis vultis in cathedra & hæreditate succedere, eandem magistri doctrinam sectemini: eandem discipulorum scholam frequentate: in eadem patrisfamilias domo jugiter permanete: eorum condiscipuli, eorum fratres estote: eos in fide, eos in operibus imitemini: si ad Ecclesiam attinetis, eam diligite; eam non impugnate. Nos, dicitis, Ecclesiam habemus, ad quam spectamus; quam honoramus; in qua totum Christum possidemus. Sed ista, aut eadem est cum nostra, aut non. Eadem planè non est; quia vos aliter, quàm nos, sentitis; aliter viuitis; aliter scripturas interpretamini; pau-

cio-

ciora ſacramenta recipitis; longè aliter de illis creditis; multò diuerſiùs ea diſpenſatis. Ergo alia eſt Eccleſia, quam profitemini. ſi alia, dicito, vbi Chriſtus eam inſtituit? quando eam condidit? Quomodo in ea eſt Chriſtus, ſi vnum caput eſt Chriſtus, et vna eſt Eccleſia? Quomodo à Chriſto trahit originem, qui adhuc clamat: *n* Odiui ecclesiam malignantium, et cum impijs non ſedebo? Si igitur à Filio non eſt, certè neq; eſt à Patre; quia *o* Pater in Filio, et Filius in Patre eſt: ſi à Patre non eſt, ſtare vtiq; non valebit: *p* Omnis namq; plantatio, quam non plantauit Pater, eradicabitur.

n Pſal. 25.
o Ioan. 14.
p Matt. 15.

DE DVOBVS CONſequentibus.

Cap. XIV.

NOrunt iſta nonnulli; norunt ſe poſt deſideria carnis ambulaſſe; à via regia deuiaſſe; Chriſtum dereliquiſſe: aperuerunt oculos; agnouerunt viam; rediere ad eam, quæ una eſt, et vera eſt Eccleſia, à qua arbitrariè, tumultuarieq; defecerunt: recepti ſunt: confortati ſunt: in-

uenerunt

uenerunt Christum, quem amiserant: in eodem sinu recubuère, quem priùs lacerare contenderant: in eadem fuère insiti arbore, à qua fuerant antea, ut noxij, ac degeneres, amputati. Es hæreticus! doleo. Sodales quæris? quid in te imiter, non video; quid plorem, inuenio. Fateris? resipisce, et recipieris. Fluctuas? tene fidem, ante naufragium. Diffidis? Osuualdus nouit errorem, et inuenit veniam. Es ab Ecclesia abscissus? vide ex trunco prodire rosas. Duo simul miracula in vno eueniunt: aridus stipes, perinde ac viridis, germinat: et germina sunt alterius speciei. Parumnè tibi videtur, à priuatione ad habitum, à negatione ad actum fieri regressum? additur secundum; & quod in se natura non nouit, nullius inserente manu, nullius temporis interuallo producit: gemino miraculo excitatur fides, et reuirescendi spes ingeminatur. Vnde de ramis fractis ait Apostolus: *a* si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos. Ad quæ Augustinus addit; *b* siue dicas oues errantes de grege; siue dicas ligna præcisa de vite; nec ad reuocandas oues, nec rursus ad inse-

a Rom. ij.

b Hom. de Pastor.

ad inse-

ad inſerenda ligna minus idoneus eſt Deus; quia ille ſummus paſtor, ille verus agricola. *c* Poteſt, qui adulteræ mixtus eſt, Domino juuante, reuerti, ac vitam pœnitendo mereri: poteſt qui hæreſi pollutus eſt, reſipiſcendo redire ad ſalutem.

c Hier. li. j. in Prou. ij

Sed ſunt quidam tantò in ſua perfidia obſtinatiores, quantò in ſua vita petulantiores; qui, inſtar huius mulieris, contentioſi, nullam traditionem recipiunt: quibus volunt ſcrîpturis aſſentiunt: nullius ſancti Doctoris teſtimonia probant: ſibi ipſis vix credunt; qui ſibi ipſis leuiter quàm ſæpiſſimè contradicunt: qui eas, quæ eorum ſenſibus ſubijciuntur, dilucidas rationes, videre conniuentes, contemnunt, atq; conculcant: qui tantò ſæuiùs in Eccleſiam frendent, quantò amantiùs ab ea monentur: qui eâ ſapientiâ mundanâ, *d* quæ ſtultitia eſt apud Deum, tumidi, velut ſapientes in oculis ſuis, ad interitum vſq; delyrant. Quales ad numerum deſcribit Apoſtolus, dicens: *e* Et erunt homines ſe ipſos amantes; cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes; ingrati, ſceleſti, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæc; et volu-

d j. Cor. 3.

e 2. Tim. 3.

ptatum amatores magis, quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. O quantus iniquitatum aceruus, quanta illuuies! eſtnè ſcelus non in his comprehenſum? Et erunt, inquit: vtinam et nunc non eſſent. Homines: naturâ quidem; ſed moribus dęmones. Se ipſos amantes: effœminati; ſinè amore Dei. Elati: correctionis impatientes. Superbi: ſibi ipſis ſolummodo confidentes. Blasphemi: Cœlum ipſum linguâ tranſuerberantes. Parentibus non obedientes: quibus ergo obtemperabunt? Ingrati: quibus igitur beneficijs allicientur? Sceleſti: quę vitia non habebunt? Sine affectione: quid faciet proximus? Sine pace: quis cum eis tractabit? Criminatores: vbi erit juſtus? Incontinentes: quid fœdius? Immites: cui parcent? Sine benignitate: vbi opera miſericordiæ? Proditores: ipſum Magiſtrum negantes. Proterui: in ſuis dogmatibus. Tumidi: in ſuis doctrinis. Cæci, in cognitione veritatis. Voluptatum amatores: quarum ſtudio ab Eccleſia diſſident, et bona opera negant. Habentes ſpeciem pietatis: Euangelium ſuperficietenus zelantes. Virtutem autem eius abnegantes;

tes: ſpiritalem ſenſum abhorrentes; et quod Euangelium præcipit, pedibus conculcantes. Periculoſa tempora: peſſimos homines. Quomodo cum illis agendum? Hos deuita. Sanum conſilium. Sed cur deuitare monetur Timotheus; qui ad illud ſæculum non ſpectabat? cui tandiu viuendum non erat? Et tunc tales profectò aderant, quorum dum deſperabat correctionem, debebat deuitare incurſum. *l* Non enim diſputare amant hæretici: ſed quoquomodo ſuperare impudentiſſimâ audaciâ: de quibus item dicit Apoſtolus: Quemadmodum *m* Iamnes, et Mambres reſtiterunt Moyſi; ita et hi reſiſtunt veritati: homines corrupti mente; reprobi circa fidem. Sed ultrà non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

l Aug. lib. 13. con. Fauſt.

m Exod. 7.

Quid eis ſupereſt? vt mentis inſaniam mors repentina ſequatur: et Sacramentorum beneficio, in quæ peccauère, priuati; eô protinus, moriendo delabantur, quò delabi longo tempore meruerunt: eorumq; lingua moueri tandem ad veniam nequeat, quæ tamdiu blaſphema fuit in creatorem.

Huius-

n Socr. lib. Hist. Eccl. ca. 25. o Lib. j. de Fi. ca. 9. p Act. j.

Huiusmodi mortem subijt n Arius, de quo Ambrosius: o Effusa sunt (ait) Arij viscera (pudet dicere ubi) atq; ita crepuit medius, prostratus in faciem; ea, quibus Christum negauerat, fœda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Iuda p Petrus Apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniustitiæ, et in faciem prostratus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera eius. Non est fortuita mors, vbi in sacrilegio pari, pœnæ parili processit exemplum: vt idem subirent supplicium, qui eundem Dominum negauerunt, & qui eundem Dominum prodiderunt Huiusmodi mortem subijt Iulianus: siue fuerit à Persis, temerè in hostes excursans, jaculis confixus: siue, quòd copijs suis inuideret, de sublimi tumulo, quô spectatum ascenderat, à milite irato præceps actus, gladioq; transfixus: siue â faceto, & ridiculo barbaro (quales habent exercitus) siue à saraceno quopiam occisus. Vtcunq; se res habet; lethale certè (ait q Gregorius) orbiq; uniuerso salutare vulnus accepit: vnoq; facinore, multorum viscerum, perniciosè creditorum, pœnas exoluit.

q Nazien. or. 48. in Iul. 2.

Hoc inquam genere mortis, à quo liberari orat Ecclesia, ij plectuntur, qui cum

Ecclesia

Ecclesia noluerunt participare; qui orationes Ecclesiæ despexerunt; qui eas non meruerunt. Qui autem occulto Dei judicio non subitò moriuntur, nouerint, neq; subitò eorum mortem terminandam, sed eius diuturnitatem æternitate compensandam: nempe vt eorum facinorosæ vitæ ad Dei patientiam commendandam; ad Ecclesiam utiliter exercendam; ad ipsorum leues excusationes diluendas longæuitas, magno sempiternæ mortis congiario, talibus militibus debito, remuneretur. Nos jam derelinquamus Scharnitz: desinamus has Scharniticas belluas cornupetas in saxa & arbores insanire ac furere: sibi obsunt; Ecclesiæ nihil. Et ad hostiarum distinctionem, ut rei scopus propiùs attingatur, deueniamus.

DE MVLTITVDIne hostiarum legis.

Cap. XV.

QVoniam vero duplex est quantitas, nimirum discreta, atq; continua; prius de numerali, atq; discreta hostiæ quãtitate tractemus. Magnum autem & penè

innumerabilem fuisse sacrificiorum numerum in lege, ex ipso Leuitico, & Numerorum libro summatim haberi potest. Distinguuntur autem tribus modis: vel respectu suarum operationum; vel ratione participantium; vel respectu materiæ & formæ, seu finis. Si operationes attendimus, quinq; erant genera secundum a Albertum: videlicet, holocaustum, pacifica, victima, immolatio, et hostia. Holocaustum erat, quod totum comburebatur; sic dictum à totalitate incendij, quod etiam holocarpoma à totalitate fructus secundum b Origenem dicebatur. Pacifica, quæ pro inita pace vel ineunda: siue pro peccatorum reconciliatione sacrificabatur. Victima, quæ victa tradebatur, vel pro victoria parta. Immolatio, quæ per animal, molâ capiti superpositâ, tanquam Deo dicatum, fiebat; vel per tales oblationes, quæ molebantur, vt farina, thus, et huiusmodi. Hostia vero ea dicebatur, quæ ad ostium tabernaculi, manibus offerentium capiti eius impositis, offerebatur; velut per eam ad Sancta pateret accessus: vel quòd pro expugnatis, aut expugnandis hostibus peculiare sacrificium esset. Attamen etsi distinctè ponatur hostia;

a In sum de Cor. Chr. dist. 1. Tract. 1. cap. 2.

b Hom. 5. in Leuit. 7.

ſtia; habet tamen quid commune cum omnibus, ſicut oblatio; quæ in omnibus ſacrificiorum generibus inuenitur: nam quidquid ſacrificatur, offertur. Idq; communiter dicebatur hoſtia, quod offerri debebat, ad quoduis ſupradictorum ſacrificiorum animal, ſiue res ſpectaret. Quare ſicut quantum ad actum offerendi, vnumquodq; ſacrificium dici poterat oblatio: ita quantum ad rem oblatam vnumquodq; ſacrificium dici poterat hoſtia. *c* Mille hoſtias obtulit Salomon ſuper altare in Gabaon, et tamen dicitur obtuliſſe eas in holocauſtum. Lex pacificæ ſancitur, & tamen hoſtia nominatur: *d* Si immolaueritis hoſtiam pacificorum Domino, vt ſit placabilis, eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, et die altero. De victimis etiam agebatur, & tamen dicitur: *e* Sanguinem hoſtiarum tuarum fundes in altari. Miſſo Iona in mare, et pacatis fluctibus, *f* immolantur hoſtiæ Domino, et hoſtia vocatur immolatio. Huiusmodi loca plurima in ſacris literis inueniuntur: ex quibus manifeſtè apparet, non ſolùm alterutrum vſurpari nomina ſacrificiorum; verùm etiam omnia communi nomine hoſtias appellari: & per

c 3. Reg. 3.
d Leu. 19.
e Ibid.
f Ioan. 1.

idipſum rem ſacrificatam, vel ſacrificandam poſſe abſq; differentia ſignificari.

Has inquam hoſtias ſi per participantes cum g Origene diſtinguimus: aliæ quidem ita fuerunt Dei ſolius, vt nullus hominum, nec ipſe Moyſes, aut Aaron participaret ex ipſis; quæ holocauſtomata ſiue holocarpomata dicebantur. Quædam ad ſacerdotem attinebant, & ad filios eius. Quædam ad filias etiam et vxorem. Quædam vero ad ipſum et populum, nempe ad mundos.

g Hom. 5. in Leu.

Diuidunt eas alij per materiam tripliciter: nam vel materia erat animata, et ſic dicebantur victimæ, et hoſtiæ: vel inanimata, ſed ſolida; & ſic dicebatur immolatio, à molitione, quæ per molam fiebat: vel materia erat liquida; et ſic dicebantur libamina. Per formam vero ſeu finem, etiam tripliciter: nam quæ totæ in honorem Dei offerebantur, dicebantur holocauſtomata: quæ ad expiationem, dicebantur hoſtiæ pro peccato: quæ pro beneficio accepto vel accipiendo, dicebantur pacificæ. Hæ tamen hoſtiæ eædem re ipſa ſunt cum prioribus, quamuis in modo doctrinæ diſtinguantur.

Tantus autem ear m numerus atq; diuerſitas ob multa fuit. Primùm: vt

quantus

quantus honor Deo deberetur ab earum numero, et magnitudine homines intelligerent: indeq; simul tanquam calculis numerando, & calamis metiendo, innumerabiles esse diuinas gratias, atq; immensas, decernerent. Quemadmodum et Abrahæ dixit Dominus; ad eius sobolis numerum amplificandum: *h* Numera stellas, si potes; sic erit et semen tuum. Rursus: vt ex qualitate, et quantitate hostiarum melius illi possent peccata sua discernere, ac ponderare. Vtq; vnâ explicaretur, quantam victimarum litationem peccata omnium hominum postularent; pro quibus tot animalium species non sufficerent. Præterea, quia cùm omnes hostiæ vnam hostiam Christum Iesum, velut lineæ cētrum, respicerent; huiusq; vnius hostiæ perfectiones immensæ, vnius victimæ immolatione ac proprietate præsignari non possent, augetur hostiarum numerus, vt in multis vna, vtcunq; fieri potest, describatur Vel (vt ait *i* Origenes) quoniam introiuit peccatum in Mundum, peccati necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit, nisi per hostiam, necessarium fuit prouideri hostiam pro peccato. Et quoniam peccati

h Gen. 15.

i Ibi. sup.

diuersæ, & variæ qualitates fuerunt; diuersorum animalium mandantur hostiæ, procul dubio, quæ conuenirent multitudini peccatorum.

DE VNITATE HOSTIÆ Euangelij.

Cap. XVI.

VBi verò Dominus noster in ara crucis, vt summus summorum sacerdotum Pontifex, seipsum obtulit Patri in sacrificium, quod omnia & singula legis sacrificia figurabant; à quo omnium legalium hostiarum virtus, velut à viuo fonte, manabat; cesserunt omnia vni; atq; vt vmbræ coram Sole, cessarunt. Propterea vrbem Hierusalem *a* deletam, aiunt, vt puniretur populus: ideo templum subrutum, vt typicæ hostiæ tollerentur. *b* Vide (inquit Origenes) quantis indigeant ista omnia hostijs; quantos requirant vitulos; quantos arietes, quantos hircos. Sed & in his omnibus vnus est agnus, qui totius Mundi potuit auferre peccatum: ideo cessauerunt cæteræ hostiæ, quia talis hæc fuit

a Apud Hieron. Ep. 17. Pau. et Eust. ad Marc.

b Hom. 24. in Num. 28. & sequen.

fuit hostia, vt vna sola sufficeret pro totius Mundi salute. Cæteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit. Sic ergo imbuitur Mundus: primò, per diuersas hostias remissionem quærere peccatorum, donec veniat ad hostiam perfectam, ad hostiam cõsummatam, agnum anniculũ perfectũ, qui tollat peccata totius Mundi. *c* Nunc (ait Leo) carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna Corporis, et Sanguinis tui implet oblatio. *c* Ser. 8. de Pass. Do.

Vna itaq; est hostia Euangelij, omnes legis hostias complectens, Iesus Christus Dominus noster. *d* Neq; vt sæpè offerat semetipsum quemadmodum pontifex intrat in Sanctasanctorum per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi: nunc autem semel in cõsummatione seculorum: ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit, ait Apostolus. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: *e* Incedens vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis ipse introijt, secundum ordinem Melchisedech *d* Hebr. 9. *e* Hebr. 6.

Pontifex factus in æternum. Vis holocau-
f ſtum? Ipſe fuit vnigenitus *f* Iſaac, petitus
Gen. 22. in holocauſtum. Vis pacificam? Ipſe eſt
g *g* pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum; medi-
Eph. 2. um parietem maceriæ ſoluens in carne eius.
h Vis victimam? De ipſo ait Ieremias: *h* Et
Cap. ij. ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad
victimam; & nõ cognoui, quia cogitauerunt
ſuper me conſilia, dicentes; Mittamus li-
gnum in panem eius, et eradamus eum de
terra viuentium, et nomen eius non memo-
i retur amplius. Vis immolationem? *i* Pa-
j. Cor. 5. ſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Vis
k hoſtiam? vis oblationem? Ita *k* Chriſtus
Eph. 5. dilexit nos, vt traderet ſemetipſum pro no-
bis oblationem et hoſtiam Deo in odorem
ſuauitatis. Delectant in hyeme flores de-
picti, aut in ſericas frondulas elaborati: be-
nè olent in hyeme flores veteres in arma-
rijs conſtipati: at ſuccedente vere, veri flo-
res ita delectant, ita olent, vt artificiales,
antiquosq́; flores deſpiciamus: hos namq́;
ideo æſtimabamus, quia veros, recentesq;
eo tempore habere non poteramus. Hoc
ſanè modo, tempore legis requirebat Deus
l tot, tantaq́; genera hoſtiarum: quando au-
Cant. 2. tem *l* hyems illa abijt, et receſſit; quando
tempus

tempus Euangelij accessit, et flores omnium gratiarum in terra nostræ carnis à Verbo assumptæ, apparuerunt: defecerunt illæ, vt figuræ; defecerunt, vt veteres: eas amplius Deus neq; oblatas suscepit, neq;, non oblatas requisiuit: *m* Sacrificium, et oblationem noluisti: Holocaustum pro peccato non postulasti. Vnde hoc? proximus erat vnicus ille, ac verus *n* flos campi, liliumq; conuallium, in odorem suauitatis, Filius Dei; *o* in quo Pater sibi benè complacuit; et qui statim dixit; Ecce venio.

m Psal. 39.
n Can. 2.
o Matt. 3.

Hanc vnam eandemq́; hostiam ei et nos quotidie offerimus in altaris sacrificio: quâ sacerdos pascitur; quâ Ecclesia saginatur: in qua idem Christus jam olim immolatus, offertur, & sumitur. Sed dices; *p* Nonne in Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternā potens? Vtiq;. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Patet. Quare? Ad recordationem mortis eius. Quot igitur hostiæ? Vna omnino. Quomodo vna, & non multæ? Quia semel oblatus est Christus: hoc autem sacrificium exemplum est illius, id ipsum, semper idipsū. Nonne in multis locis offertur? Ita. Nunquid proinde multi sunt Christi? Nequaquam, sed vnus

p De cons. d. 2. cap. in Chri. semel. et Chrys. Hom. 17. in cap. 9. ad Hebr. et in 4. Sen. dist. 12.

eſt Chriſtus. Num hic totus, ibi non totus? Non ita: ſed et hic plenus exiſtens, et illic plenus. Quomodo? ſicut enim quod vbiq; offertur, vnum eſt Corpus, & non multa corpora; ita et vnum ſacrificium.

Sciendum tamen, quamuis idem ſit Chriſti corpus, quod tunc in alta cruce eſt oblatum, et quod nunc in altari ſacro offertur; hoc tamen aliter, atq; aliter fieri. Ibi enim paſſibile, & mortale; hic immortale, et impaſſibile. Ibi cruentum, hic incruentum. Ibi viſibiliter; hic inuiſibiliter. Illic in forma propria; hic ſub ſpeciebus panis et vini. Ibi per miniſterium impiorum; hic verò piorum. Ibi ſemel; hic quotidie Ibi cum improperijs; hic cum canticis ſpiritualibus. Ibi paſſio exercetur; hic paſſio repræſentatur. Ibi merita cumulantur; hic eadem applicantur. Illic ſitit; hic ſitientibus ſuum ſanguinem propinat in potum. Illic ſpinis, clauis, lanceâ transfigitur, et laceratur; hic manducatur, & non ſcinditur; dentibus tractatur, et non teritur; palato ducitur, et non violatur. Ibi ſenſibiliter clamat, hic ſonitus non auditur, et anima excitatur. Ibi ſpiritum emittit; hic ſpiritum immittit. Ibi moritur; hic mori iterum

rum non poteſt. Ibi derelinquitur; hic frequentatur. Ibi tanquam peccator oblatus eſt, qui peccatum non nouit; hic verò, vt innocens immolatur et ſumitur. Quemadmodum in hædo, ab omni multitudine immolato; & in agno, qui per domos comedebatur, ab antiquo innotuit. Nam Iudæi hædum occiderunt, inter iniquos, et peccatores Saluatorem deputantes: nos autem (ait *q* Euſebius) quia eum innocentem, et Filium Dei credimus, agnum abſq; macula immolamus, et ſumimus. Ita tamen, vt hoc & illud, vnum ſit ſacrificium, vna victima, et vna proſus hoſtia ſalutaris.

q Emiſſ. ſer. 2. poſt Paſc.

MVLTAS HABET HOſtias Euangelium: et vnam.

Cap. XVII.

HAbet tamen etiam Eccleſia multa ac varia hoſtiarum genera; non quæ ſecundum legem incedunt, ſed quæ decent Euangelicam gratiam: quarum decem ponit *a* Chryſoſtomus: Nimirum: ſalutaris; martyrum; deprecationis; iubilationis; iuſtitiæ; eleemoſynæ, laudis, compunctionis et humilitatis; prædicationis;

a Hom. in Pſal. 95.

nis; atq; fructificationis. Hostia salutaris est spirituale, ac mysticum illud donum, de quo Paulus ait: *b* Imitatores estote Dei, tanquam filij dilecti; et ambulate in dilectione: quemadmodum et Christus dilexit nos; tradiditq; semetipsum pro nobis. De hostia martyrum exponit *c* hic Chrysostomus locum Apostoli: *d* Vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deoq; placentem. De hostia deprecationis scribitur: *e* Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hanc si de carne pudica, de anima innocenti, et de spiritu perfecto proficiscatur, *f* opimam hostiam appellat Tertullianus; at maiorem; supple, quàm fuerint antiqua animalium sacrificia. De hostia laudis habemus: *g* Sacrifica Deo sacrificium laudis. De hostia justitiæ: *h* Tunc acceptabis sacrificium justitiæ. De hostia eleemosynæ monet Paulus: *i* Beneficentiæ autem, et communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. De hostia jubilationis legitur: *k* Circuiui, et immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, id est, jubilationis, vt intelligit cum Chryso-

sosto-

b Ephes. 5.
c In Ps. 95.
d Rom. 12.
e Psal. 140.
f In Apolog. adu. Gen. cap. 30.
g Psal. 140.
h Ibid.
i Hebr. 13.
k Psal. 26.

ſoſtomo Auguſtinus. De hoſtia compunctionis & humilitatis aſſeritur: *l* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non deſpicies. De hoſtia prædicationis inquit Apoſtolus: *m* Adminiſtrantes Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, et ſanctificata in Spiritu ſancto. Deniq; de hoſtia fructificationis idem ait: *n* Repletus ſum exceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis hoſtiam acceptam, placétem Deo.

l Pſal. 50.
m Rom. 5.
n Phil. 4.

Eſt item hoſtia deuotio mentis: vt exponit *o* Gregorius illa verba: Populus non comedit; niſi priùs Samuel benedixerit: Si hoſtia mentis, (ait,) eius deuotio eſt; hoſtiæ benedicitur, quando ad vocem prædicationis ſanctificatur. Hanc etiam hoſtiam, ſolemnem ſuperiùs vocat: *p* Solemnis quippe hoſtia fuit, de incomparabili eloquio, ſingularis oblatio deuotionis.

o Lib. 4. in 1. Reg. 9.
p Lib. 1. in 1. Reg. 1.

Dicitur etiam hoſtia caſtitas; placentibus Domino hoſtijs *q* eunuchorum; id eſt eorùm, qui pro *r* regno Dei ſe ipſos caſtrauerunt. Vnde *ſ* Hieronymus ad illa verba, Tollite hoſtias, et introite in atria eius, Vos ipſi, (ait,) afferte hoſtias. Quas hoſtias? Vos ipſi eſtote hoſtiæ: virginitas holocau-

q Eſa. 56.
r Matt. 19.
ſ In Pſal. 95.

ſtum

ſtum Chriſti eſt: vniuerſa caſtitas ſiue in virginitate ſiue in viduitate, ſiue in continentia, hoſtia Chriſti eſt. Rem nouam loquor: hoſtia caſtitatis ipſa ſe portat: Tollite hoſtias, et introite in atria eius.

Jtem hoſtiæ ſunt quælibet opera charitatis: de quibus ſcribitur: t Diligere proximum, tanquam ſe ipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus, et ſacrificijs.

t Mar. 12.

Hoſtia quoq; dicitur completa ac perfecta ſanctitas, de qua vaticinatus eſt Malachias: u Placebit Domino ſacrificium Iuda, et Ieruſalem, ſicut dies ſeculi, et ſicut anni antiqui. Quem locum de ſanctis hominibus exponit x B. Auguſtinus, in quibus poſt judicium, nullum omnino inuenietur peccatum, atq; ita ſe ipſos offerent in veritate juſtitiæ, ſine vllo vitio, vt hoſtiæ immaculatæ; & vt priſtinis diebus annisq; prioribus, ſcilicet, quando in vmbra huius rei futurę, mundiſſimæ hoſtię offerebantur.

u Cap. 3.

x Li. 20. de Ciu. Dei cap. 26.

Poſtremò, quia in hoſtiæ ſacrificio requirebatur occiſio animalis oblati; vſurpatur plerumq; hoc nomen; et ipſi y gladiatores, qui publicè voluptatis causâ ſe morti exponebant, hoſtiæ dicebantur. Et quia potiſſimùm offerebatur pro peccatis; idcirco ho-

y Tertul. li. de ſpe. cap. 19.

co hostia, ipsiusmet peccati nuncupationem accepit: Omnis quippe hostia pro peccato, dicitur peccatum, ait z Ambrosius. Et quia vel in honorem Dei, vel ad placandum Deum offertur, accidit, vt etiam quæ idolo a Dagon offerebantur, quem pro Deo suo Philistini colebant, hostiæ dicerentur. Tandem quia in hostijs puritas magna requirebatur, merito actum est, vt vnumquodq; bonum opus, vnaquæq; hominis perfectio, ipse bene compositus homo, hostia in diuinis scripturis, et apud Sanctos patres vocetur. Quomodo corpus, inquies, hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus, et factus est hostia: nihil turpe loquatur lingua, et facta est oblatio: nihil iniqui committat manus, et facta est holocaustoma b ait Chrysostomus. Immo non sufficiunt ista; sed et bona etiam faciamus opus est: nimirum, vt eleemosynam faciat manus: calumnias inferentibus benedicat os: auditus diuinis continuo sermonibus vacet. Nam apud veteres (docet c Ambrosius) ideo oblata occidebatur hostia, vt homines peccati causâ morti subiectos significaret: nunc autem quia per donum Dei, purificati sunt homines, & à morte secunda liberati, viuam hostiam

z In ep. ad Heb. ca 9

a Iudic. 16.

b Hom. 20. in Rom. 12.

c In eundem locũ.

ſtiam debent offerre, vt ſignum ſit vitę æternæ. Non enim ſicut tunc corpora pro corporibus immolanda; ſed vitia corporis perimenda ſunt.

Ecce quot habes hoſtias, quas offeras, ecce quales habes, quas mactes; quotidie potes, vbiq; potes hoſtias offerre. Non aliunde inquirenda tibi ſunt animalia; te ipſum quære, et inuenies hoſtiam. Quomodo igitur vna eſt hoſtia, ſi multæ ſunt? Sunt vtiq; multa, et tamen vna eſt. Spiritales multæ ſunt, de quibus dicitur: *d* Offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Sacramentalis vero vna eſt hoſtia: vnum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, vnum eſt ſacrificium Corporis, et Sanguinis Chriſti.

d 1. Pet. 2.

DE VNITATE HOSTIÆ *in Sacrificio, et Communione.*

Cap. XVIII.

VNum inquam eſt, ſecundum Sacramenti ſubſtantiam, illud, quod à ſacerdote in altari jugiter immolatur, et quod à fidele communicante percipitur: tamen

tamen vt in altari à ſacerdote offertur, eſt etiam ſacrificium. Hoc verò pluraliter dicitur in canone Miſſae; * Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia; tum quia omnia veteris legis ſacrificia continet; tum quia ſub diuerſis ſpeciebus, quippe panis & vini offertur: tum etiam, vt cumulum donorum et gratiarum in ipſo, per ipſum, et cum ipſo ſacrificio oſtendat, tametſi vnum eſt ſacrificium, et vna hoſtia: de qua etiam in canone habetur: * Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Jlludq́; obſeruandum, tunc pluraliter dici, dona, munera, et ſacrificia, cum non ſunt conſecrata: poſt conſecrationem vero, ſingulariter ſacrificium, et hoſtiam dici. Nam ante conſecrationem adſunt adhuc ſubſtantiæ naturales in pane, et vino, et ſecundum ſubſtantias diſtinguuntur; licèt ad vnum dirigantur ſacrificium: poſt conſecrationem verò nulla eſt amplius ſubſtantia panis in pane, neq; vini in vino: ſed per tranſubſtantiationem eſt vnicum et ſanctiſſimum Corpus Chriſti: et quamuis diuerſæ illæ ſpecies diuiſim diuerſa myſteria repręſentent: omnia tamen myſteria ad vnum Chriſtum tendunt; quem vnum illæ diuerſæ ſpecies æquè

plenè, realiter continent. Et quamuis ex vi verborum consecrationis in pane sit solùm Corpus Christi; ex vi verborum in vino sit solùm Sanguis Christi: est tamen totus Christus sub specie panis, et totus sub specie vini, propter vnionem naturalem animæ cum corpore: quæ vnio talis est à Resurrectione Dominica, ut amplius diuidi nequeat: & propter vnionem hypostaticam Verbi cum anima, et corpore, nunquam, et nullo casu intermisibilem. Qui verò alteram, vel utramq; concomitantiam negat, diuidit Christum, et quasi lanio efficitur Corporis Christi: immo peior ipsis crucifixoribus. Hi namque etsi occidendo, à corpore animam instrumentaliter separauerint, corpus tamen tunc erat passibile, aliter occidi non potuisset: nec propterea à corpore, aut animâ separare potuerunt deitatem. Jlle verò concomitantiam negando, animam à corpore jam immortali, suo modo diuidit: et quantum in se est, ab anima et corpore ipsam remouet diuinitatem. Sed quid absurdius? Prope mortem est frater tuus, et testans ait: Hanc domum meam relinquo fratri meo Ioanni; et nihil aliud explicat. Moritur; in illa domo

domo eſt etiam puteus, num vis etiam puteum? haud dubio. Quare? ille profectò nullam mentionem fecit de puteo: reliquit quidem domum; ſed puteus non eſt domus, neque domus eſt puteus. Non refert, iniquies, ſufficit reliquiſſe domum, nam ſimul intelligitur quicquid immobiliter attinet ad illam, etſi quicquid attinet, non ſit domus. Si ergo puteum à domo nó diuidis, quia ſpectat immobiliter ad domum, quamuis ipſe non ſit domus; cur animam, et deitatem diuidis à corpore Chriſti, ſi anima et deitas immobiliter attinent ad corpus Chriſti, licèt neque anima, neq; deitas ſit corpus? Rurſus, naſcitur tibi filia, et ipſa eſt alba oculos: tu non talem, ſed nigram oculos malles: remoue igitur albedinem, quæ non placet. Non poſſum, ais; eſt enim accidens inſeparabile. Accidens à ſubſtantia ſeparare non vales, incorruptâ ſubſtantiâ, quia inſeparabiliter ineſt; et ſubſtantiam diuidere valebis à ſubſtantia, cui indiuiſibiliter eſt vnita, vtrâq; ſimul inuiolatâ ſubſtantiâ? Ad eundem modum Ebion diuidebat Chriſtum, negans eum eſſe Deum, et hominem:

a Ep. 1. ca. 4.

ſed quid dicit Ioannes? a Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, et hic eſt antichriſtus. Ergo niſi velimus Chriſtum ſoluere, confiteri cogimur totum Chriſtum eſſe ſub hac ſpecie panis, et totum ſub illa ſpecie vini: et hìc, et ibi vnum eſſe Chriſtum, et proinde per utramq; ſpeciem vnum eſſe ſacrificium, et vnam hoſtiam. Nam poſt conſecrationem accidentia ſeu ſpecies panis et vini, diuinâ potentiâ, per ſe ſtant, ſine inhæſione ſubſtantiæ: vnde non ponunt in numerum cum corpore Chriſti, qui vnus eſt, et vnum habet corpus. Quamobrem ſacerdos, peractâ conſecratione, ſuper hoſtiam, et calicem ſimul ſignando, dicit: * Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: nimirum quia tam panis, quàm vinum dicitur hoſtia; immo ſub vtraq; ſpecie vna eſt hoſtia. Ter autem ſignat, et ter eam nominat hoſtiam, ut ſub utraq; ſpecie indicet eſſe totum Chriſtum ſecundum triplicem eius ſubſtantiam, nempe corporis, animæ, et deitatis. Mox vt oſtendat hanc vnicam hoſtiam ſub duabus diſtinctis ſpeciebus offerri, bis ſignat ſingulatim primò ſuper hoſtiam dicens; * Panem ſanctum: deinde ſuper calicem, ſubdens;

Et cali-

* Et calicem ſalutis perpetuæ. Hanc verò vnam eſſe hoſtiam non ſolùm ab vnitate corporis Chriſti accipitur, verùm etiam à ſignificatione ipſius nominis. Hoſtia namque ſecundum Iſichium dicebatur, vel quòd per eam acceſſus haberetur ad oſtium tabernaculi; et ſic ſine aſpiratione deberet ſcribi: vel quod hoſtibus fuſis, vel fundendis offerebatur. Vtrumq; enim ſub utraq; ſpecie facit hoſtia Euangelij, et maiora præſtat: nam cælorum oſtia reſerat; & contra viſibiles atq; inuiſibiles hoſtes mirum in modum valet. Et ex his duobus effectibus eam D Thomas in hymno celebrat, dicens: * O ſalutaris hoſtia, Quæ cœli pandis oſtium, Bella premunt hoſtilia, Da robur, fer auxilium. Nihilominus licèt ita hæc ſe habeant, vſus tamen ratione diſtinctionis obtinuit, vt ſacramentum ſub ſpecie vini dicatur calix, ſub ſpecie panis dicatur hoſtia. Ita ut etiam ante conſecrationem et extra altare, materia illa panis azimi pro ſacrificio præparata, communiter hoſtia nuncupetur.

Ex dictis ſufficienter patet, quomodo etiam plures hoſtiæ ſint vna hoſtia; et vna etiam ſit illa, quâ ſacerdos communicat, et

quâ communicat laicus; nisi hoc addito, quòd sacerdos non solùm eam sumit vt Eucharistiam, verumetiam eam Patri offert in altari, ut Sacrificium. Ratio est: quia vnitas vel pluralitas sumitur ab vnitate, vel pluralitate termini: terminus autem consecrationis est corpus Christi, quod cùm sit omnino vnum, vna erit hostia, etsi mille hostię cõsecrentur. Non .n. corpus Christi transubstantiatur in substantiam panis, ut plurificetur ad plurificationem substantiarum panis: sed è contrario, substantiæ panis quotquot sint, transubstantiantur in corpus Christi. Vnum corpus Christi, vna Eucharistia, et vna hostia. Quod verò attinet ad accidentia panis, quæ remanent post consecrationem sine inhæsione substantiæ, plura utiq; sunt in pluribus hostijs; vnitatem autem hostiæ non dirimunt, ad cuius substantiam, nisi ratione symboli et continentiæ non amplius pertinent, De quibus etiam dicitur,* Sub diuersis speciebus, Signis tantùm, et non rebus, Latent res eximiæ. Et de totalitate subditur: * Panis cibus, sanguis potus; Manet tamen Christus totus sub utraque specie. Hæc autem Christi vnitas tam in pluribus et singulis diuisim hostijs,

hoſtijs, quàm in pluribus et ſingulis particulis vnius eiusdem, talis ſanè cenſenda, et tenenda eſt, ut partium Chriſti nulla fiat confuſio, nulla membrorum corporis Dominici vnio promiſcua, ut pes cum capite, oculus cum calcaneo, naſus cum digito confundatur: abſit hoc. Multa remanent membra, et vnum corpus; in ſuis diſtinctionibus membra, in ſua natura corpus. Quid, oro te, monſtruoſiùs, quàm confundere membra Chriſti? Par enim impietas eſt coniungere more Sabellij, et Arianicè ſeparare; coniungere in perſonam vnam, ſeparare naturis. Quod de Deitate inquit *b* Gregorius, hoc ego dico de Chriſti humanitate: hoc de multis membris in vno corpore; hoc de triplici Chriſti ſubſtantia in vna perſona.

b Nazian. Or. 6. de Spiritu-ſancto.

DE POTESTATE ECCLEſiæ ſuper diſpenſationem Sacramentorum, et de quibusdam hoſtiæ diſtinctionibus.

Cap. XIX.

SOlet autem Eccleſia Catholica grandiori hoſtiâ uti in ſacrificio Miſſæ, minori verò pro communione fidelium:

quod facere et potuit, et decuit. Potuit quidem: nam licèt verba, quibus Eucharistia conficitur, ab ipso Domino sint tradita, in quibus nullâ unquam varietate cõtinuò perseuerauit; et licèt Dominus noster primus fuerit eiusdem institutor, qui et discipulis suis in cæna similiter faciendi potestatem dedit, inquiens: Hoc facite: *a* Iacobus tamen frater Domini, et Basilius Cæsariensis inscripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem, idest ordinem celebrandæ Missæ: sicut etiam fecit Clemens atq; Chrysostomus; necnon alij, alia addentes ad eius decorem atq; solennitatem. Quare ab ipso Apostolorum tempore pro confesso habetur Ecclesiam in dispensatione, et ministerio Sacramentorum habuisse auctoritatem Quam certè B. Paulus exercuit, vbi de hoc ipso Sacramento altaris Corinthios instruens, ait: *b* Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in judicium conueniatis. Cætera autem, cùm venero, disponam. *c* Vnde intelligi datur (inquit Augustinus) quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret; idq; quod vniuersa per to-

a De cons. d. 1. Iacobus.

b Ep. 1. cap. 1.

c De var. cons. Reg Ep. 118. ad Ian. Et de cõs. d. 2. liquido.

per totum orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla orarum diuerſitate variatur. Hanc autem auctoritatem à Domino ipſo accepiſſe Apoſtolos, idem Auguſtinus ſuperiùs declarauerat: vbi concludens, quòd non propterea pranſi aut cænati debeamus Euchariſtiam ſumere, quia poſt cibos à Domino ſumpſerunt Apoſtoli; adijcit: *d* Ideo Dominum non præcepiſſe, quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat; ſeruaret hunc locum. Quamobrem de alijs etiam Eccleſiaſticis antiquisq́; conſuetudinibus generatim ait: *e* Sunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, et ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.

d Ibid.

e De bapt. con. Don. lib. 5. cap. 23.

Nouit ſemper hanc eandem Apoſtolicæ auctoritatis ſucceſſionem Sancta Mater Eccleſia: nouit diuerſis temporibus alios atq; alios requiri vtiles ritus; proinde aliquot in Sacramentorum adminiſtratione pro eorundem cultu et fidelium vſu, vbi operæ pretium fuit, mutauit: *f* declarans hanc poteſtatem ſe perpetuò habuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſaluâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ

f Conc. Tri. Seſſ. 21. cap. 2.

ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expediret judicaret.

Jdcircò quamuis antiquitùs ipſis ſumentium manibus Euchariſtia committeretur, vt in domum referri, et ibi pro opportunitate ſumi poſſet: quamuis in itinere, in nauigatione eam ferre liceret: ortis tamen caſibus, quibus alio vſui, quàm fas erat, à quibusdam applicabatur: demum tepeſcente hominum charitate; et, debitâ tanto Sacramento, veneratione apud quosdam diminutâ: hæreſibusq; varijs de tam clara, ac certa eius veritate ſuperſeminatis; huiusmodi vſus abrogauit, et immutato Sacramento, mutauit: nec vltra ſumentium, ſiue peragrantium arbitrio commiſit: ſed per miniſtros Eccleſiaſticos, loco, modo, et tempore conſtitutis, reuerenter diſtribuit; et honorificè, vt par eſt, tantùm in Eccleſijs conſeruat.

Voluitq; vt talis panis conſecrandus, ſeruatâ materiâ requiſitâ, differenter conficeretur à pane communi: vt inde noſceretur apertiùs tantam eſſe diſtinctionem inter profanum panem, et ſacrum, quanta

eſt in-

est inter substantiam panis, et substantiam Corporis Christi: g Non enim vt communem panem, neq; communem potum ista sumimus, inquit Iustinus. Vnde Beda, qui vixit circa annum Domini 720. de quibusdam paganis, filijs Regis cuiusdam Christiani demortui: h Cùm viderent, ait, Pontificem celebratis Missarum solemnijs, Eucharistiam populo dare, dicebant; Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro dabas, et populo adhuc dare non desistis? Iterum voluit, vt ibi etiam signa aliqua efficerentur imaginis Christi, siue nominis, siue passionis eius,; non solùm ob eandem distinctionem; verùm etiam vt inde quoq; Christum realiter ibi esse, et memoriam passionis eius fieri manifestaretur: et sacerdos contrectando, et populus adorando, oculatim ad præcelsa illa mysteria subleuarétur.

g Iust. Mar. Ora. ad Anton. Pium.

h Lib. 2. Hist. cap. 5.

Adhuc voluit, vt eius forma esset orbicularis, tum vt mãnæ magis responderet; tum quia oris rotunditati aptiùs accómodatur. Adde, quia figura illa est figurarum perfectissima, quæ Sacramento perfectissimo cógruebat: nec non figura orbium, idonea ad cœlicum, atq; Angelicum panem designandum.

dum. Quinimmò vt per tale æternitatis ſymbolum, æternum eum eſſe denotaret, qui ſub illis ſpeciebus adoratur, et ſumitur.

Rurſusq; voluit, vt ſubtilis eſſet hoſtia, atq; in modica quantitate, vt faciliùs ſumeretur. Vt eius pretium meliùs diſcerneretur: pretioſa enim in minori quantitate inueniuntur. Vt in fractione pauciores micas atomoſq; emitteret. Vt ſpecies illæ citius à ſtomacho haurirentur, & cibus quotidianus ſuis horis ſuccederet. Vt hinc etiam maiorem fidem exigeret, quod planè eſt fidei Sacramentum. Vt tale tranſubſtantiationis opus multò magis ad Dei omnipotentiam referretur; ſimulq; commendaretur amor Redemptoris, & potentia conditoris:

i 3.Reg.17. *i* ſicut hydria farinæ viduę Sareptanæ indeficienter creuit: & ſicut *k* quinq; ſolùm

k Ioan. 6. panibus mirabili incremento circiter quinq; millia hominum Dominus pauit. Tum verò vt meliùs ſeruari poſſet in vſum communicantium, ne ob nimiam quantitatem ſpecierum dureſceret magis: fuit n. neceſſe, vt Euchariſtia (conſulente presbytero) madefieret, antequam *l* Serapioni ſeni atq; ægro-

l Euſ. li. 6. hiſt. c.36. to porrigeretur. Itemq;, ne ex prolixa maſticatiòne reuerentia hæbetaretur. Neué ex

magna

magna ſpecierum quantitate, reliquia aliqua dentibus implicata remaneret. Habemus ad hoc Saluatoris exemplum, qui licèt poſſet magnos, & integros panes diſcipulis diſtribuere, fregit tamen priùs, fractumq; diſtribuit, & de Iuda dicitur, poſt *m* buccellam introiſſe in eum Sathanam. Etſi enim fractio illa multis ſit facta myſterijs; ſufficit tamen nobis nũc ſcire, quòd facta ſit: vt verè dicamus, buccellas Dominum dediſſe, qui integros habuiſſet panes, vt daret, ſi voluiſſet. Eundem deinceps ritum haud dubio ſeruarunt Apoſtoli: *n* Panis, quem frangimus (ait Paulus) nonne participatio Corporis Domini eſt? Et Lucas *o* de primis illis fidelibus ſcribit, eos fuiſſe perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, et communicatione fractionis panis. Noſq; ad hodiernum diem eaſdem hoſtias, quibus in laicorum communione vtimur, particulas nominamus.

m Ioh. 13.
n 1.Cor. 10.
o Act. 2.

DECVIT, MAIOREM HOstiam Sacrificio, minorem Communioni decernere.

Cap. xx.

VOluit insuper Ecclesia, vt inter ipsas hostias differentia esset quantitatis: et minorem sumeret non sacerdos, maiori verò sacerdos sacrificaret. Decuit enim. Primùmq; vt inter Euchariſtiam, vt Sacramentum eſt, & vt Sacrificium, aliqua fieret differentia, quæ quidem cùm in essentialibus fieri non posset, nec deberet, propter inſtitutionem Chriſti; remansit, vt fieri posset congruenter in aliquo accidentali, quæ tamen vnitati et perfectioni hoſtiæ non repugnat.

Deinde ratione sacerdotis, vt sacerdotalis excellentia ſtatui laicali præponeretur; et ex magnitudine etiam hoſtię, magnitudo sacerdotij honoraretur. Miniſterium enim miniſtrorum Chriſti triplex eſt secundum *a* Bernardum; seruitutis, charitatis, et dignitatis; miniſterium seruitutis, corporis eſt caſtigatio: charitatis, mentis deuotio: dignitatis, Corporis Chriſti consecratio.

a In sexd. Ser. paru. Ser. ij.

Pri-

Primùm est sacrificium timoris; secundum amoris; tertium laudis. Ergo decebat, vt qui in sacrificando, dignitatem habet, quam laicus non habet; in communicando susciperet cum aliqua distinctione, secundum quam non suscipit laicus. Hæc autem distinctio fieri non potest, nec debet penes substantiam; nam corpus Christi minuì augeriuè non potest: neq; si posset, deceret: nam Christi voluntati, et charitati repugnaret, qui se sic totum omnibus dedit, vt totum singulis. Ergo restabat, vt in accidentibus fieri posset. Dixi in accidentibus: nam licèt ante consecrationem differentia maioris, et minoris hostiæ sit etiam circa quantitatem substantiæ, cùm absq; dubio maior panis substantia sit vbi maior est quãtitas panis, quàm vbi minor: attamen post consecrationem, quia tota illa substantia transiuit in substantiam Corporis Christi, qui totus est in maiori hostia, & totus in minori, remanet ea differentia quantitatis, solúmodo in accidentibus panis: quæ veritati, integritati, plenitudini, et vtilitati Sacramenti nullo modo officit, seu cõtradicit.

Hæc autem differentia inter laicos, et sacerdotes in ipsa lege antiquâ probata est:

erant

erant enim panes in triplici genere: aliqui dicebantur panes Sacerdotales, ſcilicet propoſitionis, quibus veſci licitum erat tantummodo Sacerdotibus: aliqui panes Leuitici, nimirum oblationis, qui in altari holocauſtorum offerebantur, & cedebant in vſum Leuitarum: poſtremò erant panes Laici, videlicet communes, quibus vti omnes indifferenter poterant. Nec obſtat in medium afferre auctoritates Cypriani, atq; Ambroſij, quod in Euangelio nulla huiuſmodi remanſerit differentia: cùm (vt *b* ſuperiùs dicebam) de vnitate hoſtiæ loquantur penes ſubſtantiam. Quo ſimiliter modo ad alia quæcunq; Patrum teſtimonia reſponderi poteſt: nam vbi Sanctus Ignatius *c* Philadelphienſes rogat, vt inſtent vna fide, & vna prædicatione, vna gratiarum actione vtentes: ſtatim ſubijcit: Vna eſt enim caro Domini Ieſu, et vnus eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt: vnus etiam panis pro omnibus fractus, et vnus calix totius Eccleſiæ. Quæ Chriſti vnitas profectò indiuiſibilis eſt: at ſunt multæ diuerſitates, ſcribit *d* Anſelmus, quæ non in ſumma Sacramenti, nec in virtute eius, aut in fide diſcordant. Talis autem diuerſitas inter cle-

b Cap. 6.

c Epiſt. 5.

d In Epiſt. de diuerſit. Sacrament.

ter clericos et laicos facta est, adeo, vt hæc vox Communionis laicæ in antiquis Pontificum, atq; Conciliorum decretis vsitatissima sit, veluti apud *e* Siricium PP. qui sedit anno Domini 389. apud *f* Felicem III. qui sedit anno 484. In Concil. *g* Elibertino, *h* Sardicensi, *i* Aurelianensi, et alijs. In quibus clerici ob varias culpas communione clericali priuabantur, concessâ laicali ad diffinitum tempus, vel omnino interdictâ. Licet hæc distinctio esset circa vsum calicis, vt doctè exponit Cardinalis *k* Bellarminus.

e Epi. 1. cap. ij.
f Epi. 1. cap. 2.
g Can. 76.
h Cap. 2.
i Can. 1.
k De Sacr. Euch. li. 4. ca. 24.

Tertia ratio est mysteriorum Dominicæ passionis, quæ cum maiori hostia possunt aptius in sacrificio celebrari. Idq; tribus de causis; videlicet, fractionis; ostensionis; et contrectationis. Fractionis quidem, vt hostia in tres partes cum debita proportione diuidi posset, et *l* triforme corpus Domini repræsentari: scilicet corpus Christi resurgentis, in parte missa in calicem; ipse Christus adhuc super terram ambulans, in parte comesta: corpus Christi in sepulchro, in parte, quæ in altari ad finem vsq; Missæ remanebat. Quæ vltima pars secundum

l De consf. di. 2. ca. Triforme.

m Amalarium, et n Micrologum ex antiqua consuetudine pro infirmis seruata, viaticum morientium dicebatur. Iam verò aliæ particulæ speciatim consecrantur pro communicantium, siue ægrotorum vsu; et triplicis in hostia diuisionis mysterium retinetur, et consuetudo: o duæ enim partes siccę comeduntur, altera pro animabus Sanctorum ad laudem Dei; altera pro illis, quæ sunt in Purgatorio: tertia verò cum sanguine pro peccatoribus adhuc viuentibus sumitur. Hæc autem tripartitio in minori hostia aptè fieri non posset. Secunda causa est ostensionis: cùm enim debeat super caput eleuari, & populo ostendi; cerni vix quidem posset, si minor esset. Ideoq; etiam per octauam festiuitatis Corporis Christi maior hostia palàm asseruatur, et circumfertur: vt videamus, adoremus, et manducemus: p non solùm enim non peccamus adorando, sed peccamus non adorando: et nemo carnem Christi manducat, nisi priùs adorauerit, docet Augustinus. Denique respectu contrectationis, circa totum ritum oblationis; nam minor hostia minùs commodè posset contrectari.

m De off. Eccle li. 3. cap. 35.

n De reb. Eccl. ca. 17.

o Glosa vbi sup.

p Aug. in Psal. 98.

At quar-

At quarta præcipua ratio eſt, ſumptionis, reſpectu laici. Si namq; maior hoſtia daretur laico, vel integra daretur, vel fracta. Integra, non; quia quantitati oris omnium non accommodatur. Si fracta; vel darentur omnes, et ſingulæ particulæ fractæ; vel non: ſi non; ergo non ſumeret totam hoſtiam, et fruſtra litigaret de huiusmodi hoſtiæ totalitate: ſi omnes ſumeret particulas; ingeri poſſet opinio, tanquam non in ſingulis particulis eſſet integer Chriſtus, quod cogitare abſurdiſſimum eſſet. Si autem totus eſt Chriſtus in ſingulis illis partibus, et vnam ſumere ſufficit; meliùs certè eſt tales particulas ſeorſim pro communione præparare, et illas ſingulatim ſine fractione diſpenſare.

Exinde quinta ratio ſequitur, quandoquidem in fractionibus plurium hoſtiarum, plurimæ paruæ reliquiæ congregarentur, non absq; magno periculo, et incommodo dantis ſimul ac recipientis: facilè enim efflatur atomus, et ipsâ leui oris ſumentium aurâ euentilari, et aliquo alio caſu decuti poteſt. Quæ culpa admodum grauis exiſtimatur. Quare monet *q* Ciryllus, ſub ſpecie panis ſummum Regem ſumi, et proinde

q Hieros. in Cathecheſi. V. miſtagog.

ſummâ reuerentiâ ſumendum, & maximâ diligentiâ curandum, ne in terram cadat. Et *r* Origenes à cuſtodia huius Sacramenti, ne quid decidat, argumentum aſtruit, quantâ etiam diligentiâ cuſtodire debeamus verbum Dei. Et in lege *ſ* triginta dierum pœnitentia in ſimili caſu præſcripta eſt. Non decidet quicquam, ais, ſi cum exquiſita diligentia ſumatur. Abhiberi poteſt, fateor: at talem diligentiam penes artifices et ruſticos, vetulas, et fœmellas non inuenies; in infirmis vero minùs quidem Conceſſo tamen, quòd ſumma eſſet in omnibus apud omnes diligentia; nonne atomorum multa eſſet collectio? Quid ex illis? In *t* Eccleſia Græca darent forſitan pueris innocentibus manducandos, vt hactenus de more habebant. Vel, ſicut fieri aliquando ſolebat, *u* comburerentur: ſi ſcilicet ſpecies illæ adeo eſſent corruptæ, vt eas manducare ſenſus horreret. At nonnè magis conſultum, ad atomorum congeriem euitandam, particulatim quidem Communionem dare, ſed ſingillatim particulas conficere, et ita diuiſione præuiâ, ſuis temporibus diſtribuere? Decuit ſanè hoc modo facere, et expediuit. Tu vero ita hoſtiam

r Hom. 13. in Exo. 25

ſ De conſ. diſt. 2. Qui benè non cuſtodit.

t Nicephorus li. 17. hiſt. ca. 25

u Iſich. li. 2. in Leu. 8.

hoſtiam accipis, ac ſi maiorem acciperes. Audiſti, cùm de diſcreta quantitate diſſererem, vnam prorſus eſſe hoſtiam Euangelij: hoc item audias de quantitate continua; ſiue maior ſit, ſiue minor. Quid enim eſt quantitas continua, niſi cuius partes copulantur ad eundem terminum communem? Cui copulatur hoſtia? nonne Chriſto? ſit minor hæc, illa maior: ſint duæ, ſint centum, omnes ad vnum Chriſtum copulantur, immo in vnum corpus Chriſti tranſubſtantiantur. Sicuti vnitas Chriſti non poteſt diuidi, ſicuti quantitas Chriſti non poteſt minui, ita in ſubſtantiâ, vna ſunt omnes hoſtiæ; æquales ſunt omnes in re contentâ; etſi in quantitate ſpecierum inter ſe differant. Vnde, inquies, hoc? Inde quippe, vnde ſubſtantia panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti. Poteſt verbum Chriſti ſubſtantiam in aliam ſubſtantiam transformare, et non poterit ſubſtantiam transformando multiplicare? immutat ſubſtantiam, non adaugebit et quantitatem? neq; ſi ipſam rerum naturam intuemur, ſubſtantia quantitatem, ſed quantitas ſubſtantiam ſequitur; nempe corpus, cui inhæret. Sed huius multiplicationis opus plane diuinum

 eſſe,

esse, miraculum quinq; panum declaran-
do x ait Ambrosius: Mysticum quoq; est,
quod et manducans populus satiatur, et mi-
nistrant Apostoli: nam et in satietate, re-
pulsæ in perpetuum famis indicium desi-
gnatur; quia non esuriet, qui acceperit ci-
bum Christi: et in Apostolorum ministerio
futura diuisio Dominici Corporis, Sangui-
nisq; pręmittitur. Iam illud diuinum quem-
admodum quinq; panes quinq; millibus po-
puli redundauerint: non enim exiguo, sed
multiplicato cibo populum liquet esse sa-
tiatum.

x Lib. 6. in Luc. 9.

CORPVS CHRISTI IN *eadem quantitate est in minori hostia, ac in maiori.*

Cap. XXI.

ADhuc, quia quantitas diuiditur in
quantitatem molis, et quantitatem
virtutis, dicendum est, num secundum
eandem corporis magnitudinem, eandemq;
virtutem, in minori hostia sit, vt in maio-
ri: præsupponentes & Christum realiter
esse in Eucharistia, et totum esse: quod
Christus,

Christus, quod Apostoli, quod Concilia, quod Patres vna voce proclamant.

Estnè Christus secundum suam corporis magnitudinem in hostia consecrata? Corpus Christi ibi esse fateor, ibi et eius magnitudinem credo: qui corpus sine magnitudine in natura esse nondum didici. Omnipotentiâ id fieri, dices, creatoris, vt infra illos angustiæ terminos totum Christi corpus sit, quod vt totum ibi sit, sine magnitudine sit. Cur? propter illas hostiæ angustias. Miror, quòd velis loco leges loci seruare, & tam facilè corpori Christi tollas, quod est corpori congenitum et consentaneum. Cur non potiùs existendi modos distinguis, et suam corpori desinis quantitatem?

Dixit Dominus, a Hoc est corpus meum: numera dictiones, interroga singulas, singulæ respondebunt ibi esse & quantitatem. Hoc, ait, quod nam hoc? quod erat, quod habebat, quod tangebat, quod indicabat; et hoc quidem verè erat, et sine quantitate non erat. Est, inquit: quod tunc in substantiæ veritate erat, hoc fuit, hoc est, hoc erit: quodnam corpus erat? quantum sine dubio erat, sine magnitudine non erat.

a Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. j. Cor. ij.

 Deinde

Deinde ſubdit, Corpus: quid vltra quæris? ſi non molis magnitudinem quæris, ſpiritum quære, non corpus: habes corpus, habes et magnitudinem, habes longitudinem, habes latitudinem, habes profunditatem. Sed dices corpus quoq; dici äereum, ſiue phantaſticum, quod eam quantitatem non habet: at ipſe adiecit, meum: Quid eſt, meum? quod habebat, quantum habebat. Tolle à membris Chriſti quantitatem membrorum Chriſti; et erit neceſſe dicere. Hoc eſt corpus meum, et non meum: meum ſecundum ſubſtantiam, & non meum ſecundum quantitatem: At ille, Hoc, dixit: Eſt, dixit: Corpus dixit, Meum dixit: Confiteor in Sacramento eſſe illud Hoc, quod ipſe indicauit; idem Corpus, quod quantitatiuum ſemper fuit, ex quo fuit: et quod eſt, quando, hoc dicitur: et illius eſſe, qui non fallit, vereq; dixit: Hoc eſt corpus meum. Confiteor in Sacramento corpus Chriſti, multò magis confiteri ibidem poſſum quantitatem corporis Chriſti.

b Ioan. 6. Ipſe dixit: b Qui manducat me, viuet propter me: vbi manducatur? ſub ſpecie panis. Quis manducatur? Me, dixit. Chriſtum non facit corpus ſolum, vel anima ſola, ſi-

la, ſiue ſola diuinitas. Dabis ergo et animam in corpore: at corpus cum anima eſt organizatum; habet membra, et vnum membrum non facit corpus; ſed omnia membra vnum ſunt corpus: ſic enim Apoſtolus Paulus probans vnum eſſe Chriſtum in varietate gratiarum ſpiritualium ſimilitudinem ſumit à corpore. *c* Nam et corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Neq; eſſent multa membra ſi mixta eſſent. Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Poſuit Deus membra, vnumquodq; eorum in corpore, ſicut voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Hæc eſt doctrina Apoſtoli; hoc ſenſus monet; ratio monſtrat; natura ſuadet; et ordo exigit Conditoris. At ſi quantitatem tollas à corpore, non erit vtiq; expanſum; vbi ergo diſtinctio membrorum?

c 1. Cor. 12.

Eſt igitur totus Chriſtus ſecundum ſuam quantitatem in hoſtia, et tantus in minori hoſtia, quantus in maiori. Hoc communiter tenet Eccleſia: hoc *d* Theologi, et *e* Canoniſtæ: Singuli (aiunt) totum accipiunt Chriſtum Dominum, et ſingulis portioni-

d 4. Sent. diſt. 12.

e De conſ. d. 2. cap. Singuli.

tionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se in singulis præbet. Et alibi: f Vbi pars est corporis, est et totum: eadem est ratio in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figurâ præcessit: de quo dicitur, g qui plus collegerat non habuit amplius, neq; qui minus parauerat, habuit minus: Non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis. h Nam corpus Domini, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto: et sicut plenum in vniuersis, ita integrum probatur esse in singulis.

f Ibid. cap. Vbi pars.

g Exod. 16.

h Apud Hieron. in Hom. de Corp. et San. Chr.

Sed quòd ibi Christus sit, totus sit, secundum magnitudinem sit, credis; qualiter autem sit, nondum intelligis. Theologos i consule: Hoc enim copiosissimè ab omnibus quæsitum, ac determinatum est. Et ego velim vt Christum secundum deitatem, animam, & corpus consideras, et secundum existentiam: vt ex his quatuor inuenias, vnde quiescas. De Deitate ait Dionysius: k Magnus quidem appellatur Deus juxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suimet consortium tradit; et extrinsecus super omnem magnitudinem.

i In 4. Sen. di. 10. 13.

k Lib. de diu. nom. cap. 9.

nem funditur, et supra expanditur, omnem continens locum, omnem transcendens numerum, omnem transiliens infinitatem. Et subiungit. Paruum verò siue tenue in eo dicitur, quod molem omnem excedit, atq; distantiam; et quod absq; impedimento per omnia pergit: enimuerò omnium causa pusillum est, nunquam enim inuenies pusilli speciem imparticipatam. Et concludit. Hoc itaq; pusillum et quantitate caret, et qualitate: tenetur nullo: in finitum est, & interminatum; compræhendens omnia, et ipsum compræhensibile nulli. Animam verò docet Philosophus esse totam in toto, et totam in qualibet parte totius. De corpore autem; *l* Quid argumentis vtimur (ait Ambrosius) suis vtamur exemplis; in carnationisq́; exemplo astruamus mysterij veritatem: nunquid naturæ vsus præcessit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueuit: liquet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generauit. Et hoc, quod conficimus corpus, ex virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine?

l Li. de initian. cap. 9.

gine? Deniq; de existentia inquit Hugo: m Hic est, ibi est, et totum vtrobiq; est, & in multis locis similiter. Noli mirari: qui locum fecit, corpus fecit, et locum in corpore, et corpus in loco. Et qui fecit vt corpus vnum in vno loco esset, fecit, sicut voluit; et si aliter voluisset, aliter facere potuisset. Itaq; non decrescit, non decurtatur, non minoratur Corpus Christi, quia minor est hostia; sed in sua magnitudine iugiter perseuerat.

m De San. Vict. li. 2. de Sacr. par. 9. cap. 21.

Monet vtiq; n Chrysostomus, non regium puerum, sed ipsum vnigenitum Filium Dei nos in Eucharistia accipere. Produnt vtiq; historiæ o Wedekindum, primum Saxonum Ducem, tempore Caroli magni Christianum factum, cùm vidisset in Paschate singulis communicantibus à sacerdote in os porrigi infantem. At vero non proinde censendum, repuerascere Christú, aut minui, quia eâ ætate, vt plerisq; de causis congruebat, apparuit. Prima quidem, vt amabiliùs apparendo, magis alliceret. Secunda, vt quia ingrediens in os videbatur, magis oris quantitati adactari videretur. Tertia, vt absq; horrore sumentium id fieri commonstraret. Quarta ad Christi puritatem

n Hom. 24. in 1. ad Corin.

o Alb. Krã. li. 1. c. 9.

ritatem manifestandam. Quinta, pro puritate sumentium: ipso dicente; p Nisi cóuersi fueritis, et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Tandem ratione diei, vt Christi resurrectio, in noua creatura designaretur: q Qui resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quamuis enim non minoris pretij, ac dignitatis sit corpus Christi, cùm Christus esset quinquennis, aut duodennis, quàm cùm esset triginta trium annorum: consecratio tamen respicit tempus præsens, dum dicimus; r Hoc est corpus meum. Cumq́; Christus se Apostolis in communione dedit, in ea magnitudine dedit, & sic passibilem, sicut tunc erat. Et si in triduo mortis eius aliquis ex Apostolis Eucharistiam consecrasset, tale corpus in Eucharistia fuisset, quale tunc erat: id est diuinitati vnitum, sed ab anima, & Sanguine separatum. Nunc verò ipsum in ea forma gloriosa, et magnitudine, in qua est, in Eucharistia sumimus; scilicet in s mensura ætatis plenitudinis Christi.

p Matt. 18.

q Rom. 6.

r Matt. 26.

s Ephes. 4.

IN MA-

IN MAIORI, ET MINORI hostia est æqualis virtus.

Cap. XXII.

COnſtat igitur ex his, ſi maior Chriſti quantitas non eſt in maiori hoſtia, quàm in minori, neq; maiorem in illa eſſe virtutem; in quantum vtraq; Euchariſtia eſt: nam ſi maior hoſtia conſideratur, vt oblatio, et ſacrificium, patet maiorem inde profectum deriuare, dum viuis & defunctis applicatur. Si autem vtraq; vt Euchariſtia abſolutè perpendatur, et maiorem virtutem haberet hoſtia maior; vel oriretur ex re contenta; vel ex ſymbolo continente. Ex re contenta non: nam vtrobiq; totus eſt Chriſtus. Ex ſymbolo, non: nam ſymbolum non operatur, niſi per virtutem impreſſam: in Euchariſtia vero loco virtutis impreſſæ eſt idem Chriſtus. Licèt enim maior hoſtia pleniùs & diſtinctiùs rem contentam ſignificet; non tamen pleniorem, aut diſtinctiorem rem continet, ſed æquè plenam, et per ſuas partes diſtinctam. Remanet itaq; vt inæqualitas poſſit eſſe circa ſubiectum recipientis, magis minuſuè

nuſuè

nuſuè diſpoſitum. Dum quempiam non ſolùm cum minori vtilitate, ſed ad interitum cum Iuda ſumere contingit, ſi indignè ſumat. Et hoc modo maiorem Sacramenti virtutem adipiſci poteſt laicus, etſi minorem hoſtiam ſumat; quàm ſacerdos, qui ſumit maiorem; ſi magis dignè ſumit, quàm ſacerdos. Quid enim eſt, quod in tertia oratione, ante ſumptionem ſacerdos dicit: * Perceptio Corporis tui Domine Ieſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proueniat in judicium, & condemnationem? niſi quòd ſi indignè ſumit, judicium ſibi ſumit, et condemnationem? Quid eſt, quod ante conſecrationem orat, vt oblatio * fiat ei, et populo Corpus, et Sanguis Chriſti? niſi vt quòd abſolutè ſemper fit ex vi conſecrationis, fiat etiam relatiuè ipſi ſacrificanti, et populo; in ſalutem ſupple, ac vitam, ex vi communionis?

Hoc profectò debes timere, ne indignè accedas: hoc debes totis viribus procurare, vt quanta potes dignitate & humilitate accedas: vt ſumas, non vt præſumas. Licèt reſideas in altitudine Schloſberg, terrâ es inferior, quæ tibi ante pedes aperitur.

Sis

Sis licèt omnium gigantum maximus, Zachæus es: ſis licèt nobilis, ſtaturâ puſillus es. Quid conſcendis in arbores? quid ſummitates ramorum adis? etſi Atlantem montem pede premas, adhuc Zachæus, adhuc ſtaturâ puſillus es. Vis Chriſti magnitudinem ſuſcipere? a Deſcende, inquit; à profunditate incipe: profunditas Chriſti, humilitas eius eſt: vt humilitatem eius ſuſcipias, requiritur, vt humilieris. Vis amplitudinem? ſubiungit: In domo tua oportet me manere. Domum tuam ingredere: conſcientiam purga; dilata animam charitate; obices tolle culparum; obſtrue rimas malarum cogitationum; ſterne ornamenta virtutum: ita Chriſti maieſtas, et magnitudo recipitur, quæ in ipſa hoſtia continetur, vbi nullum peccati obſtaculum inuenitur: ita quod tibi ad interitum eſſe poſſet, eſſet ad vitam. b Manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, et integra eſt vita: Tunc autem hoc erit, id eſt vita vnicuiq; erit Corpus et Sanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.

a Luc. 19.

b Aug. Ser. 2. de Ver. Ap. ca. 2.

VELA-

VELATVM SE CHRISTVS præbet propter fidei Sacramentum.

Cap. XXIII.

SEd non vides, quia ſe velatum exhibet Chriſtus: non capis, quia aliquantò obſcuriùs de hoc Sacramento loquuti ſunt Patres. Tres *a* aliqui adducunt cauſas, cur Dominus ſe latenter concedat; fidei, horroris, et cruoris: ne ob cruorem paganus rideat; ne ob horrorem ſenſus recedat: et vt fides meritum habeat. Multi multas alias adiecerunt. Sed potiſſima eſt ratione fidei, vnde fidei Sacramentum nominatur: vt mens intueatur, quod caro non aſpicit: vt exoculati exteriùs, oculatiores reddamur interiùs, & fortiores. *b* Beatus es Simon Bariona (ait Dominus) quia caro, et ſanguis, non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Diſcipulos ſuos interrogat Chriſtus: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondent illi: Alij dicunt Ioannem Baptiſtam; alij autem Eliam; alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Hi quippe tantum dicebant, quantum videbant, quantum eis caro & ſanguinis reue-

a 4. Sent. diſt. 12.

b Matt. 16.

labat. Repetit ille: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei viui. Deus & homo erat Christus: sed homo videbatur, et Deus credebatur, latebat in homine Deus, in carne deitas tegebatur. Vnde noscis ô Petre? Deus non habet humanam faciem; membris corporeis non grauatur; loco non clauditur; tempore non variatur: cur ergo Christum filium Dei viui appellas? Quod caro & sanguis non reuelauit, hoc lumen
c Iaco. 1. fidei aperuit, *c* descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Hinc beatus fit homo; et populus, qui non erat eius popu-
d Psal. 17. lus recipitur, et amatur. *d* Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi. Mira obedientia, obedire audiendo, audire obediendo; non obsurdescere ad acclamationem; non expectare increpationem; non exposcere præcepti iterationem, aut commentationem: protinus vno verbo audire, vno verbo credere, & obedire. Bonum est quidem obe-
e Rom. 10. dire auditu cordis; quia *e* corde creditur ad justitiam: bonum est internos Dei affatus intelligere: spiritalibus illis vocibus, quibus

quibus *f* ad cor hominis loquitur, assentiri: sed et bonum est auditu auris obedire: & ea, quæ sunt fidei; statim audita credere, & operibus commendare. *g* Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Hi vero duabus auribus audiunt, qui aures audiendo excutiunt: qui quod vna aure excipiunt, per alteram emittunt, et perdunt, Hi pluribus auribus audiunt, qui ad id, quod prædicatur ex fide, volunt etiam physicas rationes, vt credant. Aure vnicâ audit, qui fideliter credit: vna enim est fides, vnum baptisma, et vnus Deus. Aure audit, qui attentè audit: sicut qui vno oculo prospicit, visum attentè dirigit ad metam. Aure audit, qui quod audit, aure annuendo confirmat, Qui quod recipit, per alteram aurem non emittit; sed in cordis ærarium mittit; et *h* audiens verbum Dei, custodit illud. Qui confestim credit, quod Ecclesia sancta proponit; et vbi vis humanæ trepidat rationis, fidei virtute contendit: * Quod non capis, quod non vides, Animosa firmat fides, Præter rerum ordinem. Animosa equidem fides. Quis Philosophorum auderet asserere accidentia existere sine subiecto? Corpus Christi in

f Oseæ. 2.

g Rom. 10.

h Luc. 11.

hostiâ exiguâ contineri? mânducari, & non atteri? Audet tamen hoc dicere fides. Vnde audet? In Christo audet, quia hoc

i Ioan. 6. Christus dicit: *i* Caro mea verè est cibus:

k Mar. 14. *k* Hoc est corpus meum. Audet fides dicere; audeas et tu credere, vt sis fidelis. Sed audi, vt audeas: sine mora audi, sine hæsitatione aude, & in auditu auris obedies. Ecce ab ipso sensu tibi auxilium; quid est enim auditus, nisi sensus? et auditus tibi dicit, quod Christus dicit; Hoc est corpus meum, Nunquid quia non omnes sensationes adsunt, verum non est, quod aure sentitur? At sit quidam surdus, sit cæcus, sine olfactu, manibusq; recisis, præbe huic fauum mellis, et gustet; nonne statim dicet illud esse mel? Nihilominus non distinxit digitis, non olfecit, non vidit, ab alijs non didicit: vnico sensu expertus est; cognouit, et confessus est. Huic sufficit lingua, vt gustet; sufficiat tibi auditus, vt credas: siquidem et gustus sæpenumero decipi solet; auditus autem per verbum Christi, nec semel quidem decipi potest. Vbi alij sensus desunt, per vehiculum auditus occurrat fides: * Præstet fides supplementum Sensuum defectui. Quid est supplere? partem

parti

parti necessariam adijcere: si totum deest, non est supplere, sed totum facere. Supplet fides, ergo omnes sensus non vndequaq; deficiunt, vbi adminiculatur auditus. *l* Ego *l*
enim accepi à Domino, tradit Paulus. 1. Cor. ij.
Cur se à Domino hoc accepisse testatur? an alia Doctoris gentium doctrina non à Domino fuit? sanè omnis Pauli doctrina à Domino fuit, cui vas electionis factus fuit, vt eius nomen gentibus portaret. Sed quia fides est ex auditu, per auditum, ait, se accepisse fidei Sacramentum. Et quia hoc memoria dicitur mirabilium Christi, ne tenuitas ingenij humani, magnitudine Sacramenti titubaret, in cõfirmationem exprimit se illud à Domino accepisse. Adde, quòd Christus in huius potissimùm Sacramẽti institutione, sibi complacuit, in quo seipsum præbuit; & in eodem sibi quotidie complacet, ob memoriam passionis suæ. Adde, quod hoc nobilissimum, præ cæteris Sacramentum, nobis reliquit, in quo eius sanctissimo Corpore pascimur, et ditamur. Adde, quòd illud pretiosissimum medium ac remedium nobis commendauit, per qud
m ille in nobis, nos in illo manemus; pro- *m*
pterea ne sumere vllo vnquam casu detre- Ioan. 6.

ctaremus, speciatim Apostolo hoc demandauit, vt de tanto mysterio nos instrueret; et ut dixit, vt fecit, ita penitùs confirmaret. Et quemadmodum nuncius etsi multa habeat in mandatis à Principe; de eo tamen, quod Principi magis est cordi, et maioris est momenti, dicit: Hoc mihi Dominus in legatione præcepit, hoc mihi imposuit; cùm et alia imposuerit: ita et Paulus doctrinam de Sacramento se à Domino accepisse proposuit: vt populus gentium, qui Deo non notus, dicebatur, id est, de lege nondum eruditus, seruiret Deo; eiq; in auditu auris, nempe fidei, obediret. *n* Filij autem alieni mentiti sunt, et claudicauerunt à semitis suis. Hæretici et ipsi quondam fuerunt Ecclesiæ filij, sed apostatantes à fide, alienati sunt ab Ecclesia; & facti sunt item filij, sed filij alieni, id est filij Belial. Factiq; exleges, sibi somniant leges; ecquid non faciunt, vt mentiantur Ecclesiæ? Scripturas canonicas exterminant; immutant verba, peruertunt sententias; extorquent significationes; addunt, minuunt, confundunt: et sibi ipsis, retorctis jaculis mentiuntur, dum reuerâ Ecclesiæ mentiri minimè possunt. *o* Alienati sunt peccatores à vulua, erraue-

n Psal. 17.

o Psal. 57.

errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa. A' qua vulua? ab ipſa exordiente Eccleſia. A' quo vtero? ab eadem Eccleſia, poſtmodum per orbem vniuerſum diffusâ: hinc alienati, mentiti ſunt, loquuti ſunt falſa, in alios atq; alios errores reciderunt. De quibus ſic ad Trallianos ſcribit Ignatius: *p* Sunt quidam vaniloqui, et mentis ſeductores, ſed Chriſtum mercantes; ſeductione circumferentes nomen Chriſti, et cauponantes verbum Euangelij: nominant enim Chriſtum, non vt Chriſtum prædicent, ſed vt Chriſtum ſpernant: et legem proferunt, non vt legem ſtatuant, ſed vt legi contraria annuncient. *p* Epiſt. 1.

CVR SANCTI SVBOSCVRÈ de hoc Sacramento tractarunt.

Cap. XXIIII.

HInc vna ex rationibus proficiſcitur, cur Sancti obſcuriùs de hoc Sacramento tractarunt: *a* Quæ lector agnoſcis (inquit Ambroſius) infidelis intelligere non debet: Non quo cibus imperetur, aut potus; ſed ſacræ oblationis *a* Lib. 7. in Luc. c. 10

veneranda Communio reueletur: Non ergo interdictum est muneris, sed religionis mysterium.

Altera: propter minus peritos auditores: *b* Nunquid (ait Ignatius) non poteram vobis secretiora scribere? sed timeo, ne paruulis vobis constitutis lesionem imponam.

b Ep. 1. ad Trall.

Deinde, ad leuissimam quidem erroris suspicionem euitandam: *c* Veruntamen (inquit Origenes) sciendum est, quòd ex hostijs, quæ offeruntur, licèt concedantur sacerdotibus ad edendum, non tamen omnia conceduntur: sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, et altaris ignibus traditur: vt sciamus etiam nos, quod etsi conceditur nobis aliqua ex diuinis scripturis apprehendere, & agnoscere; sunt tamen aliqua, quæ Deo referenda sunt: quæ cùm intelligentiam nostram superent, sensusq; eorum supra nos sit; ne fortè aliter à nobis, quàm se habet veritas, proferantur, meliùs igni ista seruemus.

c Hom. 5. in Leu. 7.

Tum verò, ad rei præstantiam, atq; difficultatem insinuandam: nam sunt non nulla, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet.

d Eucha-

Euchariſtia enim (vt idem ait) ſiue percipiendæ, ſiue eo ritu, quo geritur, explicandæ; vel eorum, quæ geruntur in batiſmo verborum, geſtorumq; et ordinum, atq; interrogationum ac reſponſionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, et velata portamus ſuper humeros noſtros, cum adimplemus ea, et exequimur, et à magno Pontifice, atq; eius filijs tradita, et commendata ſuſcepimus.

d Hom. 5. in Num. 4.

Poſtremò ob eundem fidei profectum, ob quem Dominus in diuerſis ſpeciebus eam inſtituit: *e* Plures enim credendo, quàm intelligendo, has carnes comedunt. Comedant igitur, qui poſſunt, qui verò non poſſunt credant, et charitatis igne comburant (docet Euſebius.

e Emis. ſer. 2. poſt Paſcha.

Propter quas eaſdem rationes, hæc ad errorem Oſuualdi confutandum ſufficiant. Sicubi vero me plura dixiſſe, quàm res exigeret, arbitraris, hæc Diuus Pater Auguſtinus reſpondet: *f* Si rationi perſpicuæ veritatis infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus non auderet obſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri languorem ſuum, tanquam medicinæ ſubderet, donec diuino adiutorio, fide pietatis impetrante, ſanaretur; non multo

f Lib. 2. de Ciu. Dei. cap. 2.

 ſermone

ſermone opus eſſet, ad cõuincendum quemlibet vanæ opinationis errorem ijs, qui rectè ſentiunt, et ſenſa verbis ſufficentia explicant. Sicubi vero alia deſideras, et noua quæris, *g* Quis diſceptandi finis erit, et loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus? *h* Sapiamus igitur ad ſobrietatem.

g Ibid.

h Rom. 12.

SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIAE
Catholicæ, atq; Apoſtolicæ;
Firmamento, & Columnæ
Veritatis;
Scripta ſua, ſeq́; ipſum
Auctor humillimè
ſubijcit.

ELENCHVS
Capitum.

DE origine Wilthinensis, ac Scëfeldensis Monasteriorum.
Cap. I. Pag. I.
De institutione Ecclesiæ, et Monasterij in Seëfeld.
Cap. II. Pag. 3.
De mutatione et perfectione Seëfeld
Cap. III. Pag. 5.
De errore Osuualdi Milseri, maiori hostiâ communicare attentantis, et de sequutis inde miraculis.
Cap. IIII. Pag. 7.
Quòd presbyter laicum hostiâ maiori communicando, peccauit.
Cap. V. Pag. ij.
Quòd non peccauerit presbyter, obijcitur, et respondetur.
Cap. VI. Pag. 17.
Erroris Osuualdi quantitas, et qualitas à iudicij diuini ostensione comprehenditur.
Cap. VII. Pag. 27.

De dua-

De duabus demonſtrationibus circa altare.
Cap. VIII. Pag. 30.
De eruptione et defectu terræ.
Cap. IX. Pag. 34.
Num error Oſuualdi fuerit hæreſis; et num ipſe hęreticus.
Cap. X. Pag. 39.
Vxor Oſuualdi hæreſim repræſentat.
Cap. XI. Pag. 43.
A reliquis malæ fœminæ vitijs deſcribitur hæreſis.
Cap. XII. Pag. 48.
Per Scharnitz deſcribitur hæręſis.
Cap. XIII. Pag. 52.
De duobus conſequentibus.
Cap. XIIII. Pag. 59.
De multitudine hoſtiarum legis.
Cap. XV. Pag. 65.
De vnitate hoſtiæ Euangelij.
Cap. XVI. Pag. 70.
Multas habet hoſtias Euangelium et vnam.
Cap. XVII. Pag. 75.

De vni-

De vnitate hostiæ in Sacrificio, et Communione.
Cap. XVIII. Pag. 80.
De potestate Ecclesiæ super dispensationem Sacramentorum, et de quibusdam hostiæ distinctionibus.
Cap. XIX. Pag. 87.
Decuit maiorem hostiam Sacrificio, minorem Communioni decernere.
Cap. XX. Pag. 94.
Corpus Christi in eadem quantitate est in minori hostia, ac in maiori.
Cap. XXI. Pag. 102.
In maiori, et minori hostia est æqualis virtus.
Cap. XXII. Pag. 110.
Velatum se Christus præbet propter fidei Sacramentum.
Cap. XXIII. Pag. 113.
Cur Sancti subobscurè de hoc Sacramento tractarunt.
Cap. XXIIII. Pag. 119.



De vnitate hostiæ in Sacrif
Communione.
Cap. xviii.
De potestate Ecclesiæ supe
tionem Sacramentorun
busdam hostiæ distinct
Cap. xix.
Decuit maiorem hostiam
minorem Communion
Cap. xx.
Corpus Christi in eadem
est in minori hostia, ac
Cap. xxi.
In maiori, et minori hostia
virtus.
Cap. xxii.
Velatum se Christus præl
fidei Sacramentum.
Cap. xxiii.
Cur Sancti subobscurè de
mento tractarunt.
Cap. xxiiii. Pag. 119.



119.

